Scheffler, Karl Ludwig Frznz
Theodor
De rebus Teiorum

DE REBUS TEIORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS SCHEFFLER

BLANCOBURGENSIS.

LIPSIAE.

TYPIS ALEXANDRI EDELMANNI,

TYPOGRAPHI UNIVERSITATIS.

1882.

PARENTIBUS OPTIMIS

SACRUM.

Quisquis in fatis et rebus urbis alicujus explicandis versatur, duas rationes potest ita inire, ut aut complures aetates distinguens unamquamque ab omni parte describat aut primum fata urbis servato temporum ordine exponat, deinde singulas res et publicas et sacras et privatas non per aetates, sed ratione, quam vocant systematicam, pertractet. Jam cum Teiorum res perscribere mihi proposuerim, quia, quae de illa urbe scimus aut titulis aut nummis aut scriptorum testimoniis docti, non tanta sunt amplitudine et ubertate, ut priorem rationem aptum sit sequi, rem ita institui, ut primum res a Teiis gestas et casus urbis, quantum fieri potest, secundum temporum ordinem explicem, deinde de rebus Teiorum publicis, quaecunque tradita sunt, colligam, tum de rebus sacris, imprimis de Bacchi cultu et de asylo urbis, postremo de Dionysiacorum artificum collegiis Teiis agam.[1])

---

1) De Teo unus, quantum scio, scripsit Hirschfeldius in diar. archaeol. 1876, p. 23 sqq.

Cap. I. De fatis Teiorum.

§ 1. De origine Teiorum.

De origine Tei duo potissimum testimonia sunt tradita, alterum Strabonis, alterum Pausaniae,[1]) e quibus, quamquam nonnihil inter se discrepant, tamen verum elicere possumus.[2]) Ac primi quidem Graecorum incoluerunt urbem Minyae Orchomenii ducti ab Athamante, progenie notissimi illius Athamantis, mariti Inus, regis Orchomeni. Minyas Orchomenios Jonicae migrationi admixtos esse praeterea confirmatur ab Herodoto (1, 146) et Pausania (7, 2, 3. 9, 37, 8). Athamantem autem fuisse conditorem Tei testantur praeter Strabonem et Pausaniam et Stephanum Byzantium, qui Strabone haud dubie usus est,[3]) Pherecydes (apud schol. Plat. Hipparch. p. 335 Bekker), Anacreon, qui urbem *Ἀθαμαντίδα* vocat (Strab. et Steph. l. l.), deni-

1) Strab. 14, 633. *Τέω δὲ (κτίζει) Ἀθάμας μὲν πρότερον, δίοπερ Ἀθαμαντίδα καλεῖ αὐτὴν Ἀνακρέων, κατὰ δὲ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν Ναῦκλος, υἱὸς Κόδρου νόθος, καὶ μετὰ τοῦτον Ἄποικος καὶ Δάμασος Ἀθηναῖοι καὶ Γέρης ἐκ Βοιωτῶν.* Paus. 7, 3, 6. *Τέων δὲ ᾤκουν μὲν Ὀρχομένιοι Μινύαι οἱ σὺν Ἀθάμαντι ἐς αὐτὴν ἐλθόντες· λέγεται δὲ ὁ Ἀθάμας οὗτος ἀπόγονος Ἀθάμαντος εἶναι τοῦ Αἰόλου· ἀναμεμιγμένοι μέντοι τῷ Ἑλληνικῷ καὶ ἐνταῦθα ἦσαν οἱ Κᾶρες. ἐςήγαγε δὲ Ἴωνας ἐς τὴν Τέων Ἄποικος, ἀπόγονος Μελάνθου τέταρτος, ὃς τοῖς Ὀρχομενίοις οὐδὲ τοῖς Τηίοις νεώτερον ἐβούλευσεν οὐδέν. ἔτεσι δὲ οὐ πολλοῖς ὕστερον ἔκ τε Ἀθηνῶν καὶ ἐκ Βοιωτίας ἀφίκοντο ἄνδρες· ἡγοῦντο δὲ τοῦ μὲν Ἀττικοῦ Δάμασος καὶ Νάοκλος, Κόδρου παῖδες, τῶν δὲ Βοιωτῶν Γέρης Βοιωτὸς· καὶ σφᾶς συναμφοτέρους ὅ τε Ἄποικος καὶ οἱ Τήιοι συνοίκους ἐδέξαντο.*

2) cf. Raoul-Rochette hist. des colon. gr. 3. 91 et Müller Orchom. 393, quamquam ille rem non satis recte exposuit.

3) s. v. *Τέως. ἣν πρῶτον ἔκτισεν Ἀθάμας, ὅθεν Ἀθαμαντίδα καλεῖ αὐτὴν Ἀνακρέων.*

que titulus Teius,[4]) in quo appellationem honorificam νέον Ἀθάμαντα eadem significatione qua alias νέον κτίστην usurpatam reperimus. Postremo Minyeïam originem Boeckhio videntur indicare quaedam nomina, quae posterioribus temporibus Tei inveniuntur, ut Clymenus (C. J. Gr. 3113; alius Clymenus rex Orchomeni Paus. 9, 37, 1) et Jason (C. J. Gr. 3090; Jasonem Argonautam e Minyarum gente esse ortum notum est), quibus addi potest nomen diei festi, Λευκάθεα (C. J. Gr. 3066), quae haud dubie in honorem Inus-Leucotheae, prioris Athamantis uxoris, celebrabantur; quamquam huic quidem rei non multum tribuerim, quoniam aliis quoque locis; quae cum Minyis nil habent commune, Leucothea colebatur.

Sed jam ante Minyarum adventum Teos habitata est, a Caribus quidem, si Pausaniam sequimur, vel a Lelegibus, ut Pherecydes apud Strabonem testatur,[5]) quae discrepantia eo tollitur, quod Leleges a Caribus subjectos partem hujus gentis factam esse fere constat.[6]) Cares cum novis incolis unam in civitatem coaluerunt (Paus. l. l.), quod etiam in aliis illius orae coloniis, ut Sami, Chii, factum est (Curtius 1^4, 116. 123), quamquam ante pactionem eos inter se dimicasse est verisimillimum; nam amice Minyas a Caribus exceptos esse Hirschfeldius (p. 24) e Pausaniae loco nullo jure concludit. Caricae originis vestigia etiam in nonnullorum heroum eponymorum nominibus haud dubie insunt, sed de hac re infra dicetur. Addo quod etiam nomen urbis *Τέως*, quia e Graeca lingua explicari non potest, a priscis incolis colonos accepisse verisimile est. Nam quae

---

4) C. J. Gr. 3083. Etiam in titulo 3078, ubi litterae Ἀθαμ servatae sunt, idem intellegendum esse Boeckhius recte censet.

5) 14, 632. *ταύτης δέ* (scil. *τῆς Ἰωνικῆς παραλίας*) *φησι Φερεκύδης Μίλητον μὲν καὶ Μυοῦντα καὶ τὰ περὶ Μυκάλην καὶ Ἔφεσον Κᾶρας ἔχειν πρότερον, τὴν δ' ἑξῆς παραλίαν μέχρι Φωκαίας καὶ Χίον καὶ Σάμον, ἧς Ἀγκαῖος ἦρχε, Λέλεγας.*

6) Strab. 13, 611 *ἅμα τοῖς Καρσὶ στρατευόμενοι*; cf. ibidem 7, 321; Paus. 7, 2, 8 *Λέλεγες τοῦ Καρικοῦ μοῖρα.* cf. Curtium hist. Gr. 1^4, 45. Aliter Deimlingius Leleg. 27 rationem, quae intercedebat inter Cares et Leleges, explicat.

fabula apud veteres de origine nominis circumferebatur,[7]) haud dubie inventa est, ut vox Graecis obscura explicaretur.

Aliquanto post Minyarum adventum evenit Jonum migratio, cujus duo agmina sunt distinguenda. Ac prius quidem ex Jonibus, posterius, quod *ἔτεσιν οὐ πολλοῖς ὕστερον* advenit (Paus. l. l.), ex Atheniensibus et Boeotis constitit. Utrumque agmen a prioribus colonis benigne receptum esse et per se patet et ex Pausaniae verbis apparet. Hactenus Strabo et Pausanias inter se consentiunt, de ducibus vero colonorum ita discrepant, ut Strabo priorum Jonum ducem Nauclum, nothum Codri filium, Atheniensium Apoecum et Damasum, Boeotorum Geren vocet, Pausanias contra priorum Jonum Apoecum, Melanthi abnepotem, Atheniensium Damasum et Naoclum, Codri fiilios, Boeotorum eundem Geren. Sed ut de Strabonis majore auctoritate taceam, res ipsa ostendere mihi videtur Pausaniam vel auctorem ejus rem confudisse; neque enim verisimile est prius agmen ductum esse a Melanthi abnepote, i. e. a Codri pronepote (nam Melanthus Codri pater fuit et alii filii, quantum scio, Melantho non ascribuntur), posterius a Codri filiis; immo vero, quia Graeci omnes res fabulosis temporibus gestas per hominum aetates describunt, primum filius, deinde pronepotes Codri migrasse sunt putandi. Quae cum ita sint, Strabo recte prioris agminis ducem filium Codri nominasse mihi videtur, et quamquam de posteriorum genere nil addit, tamen hos, hac quidem in re Pausaniae testimonio usus, pronepotes Codri fuisse crediderim. Ad quam generis conversionem cum Pausanias haud dubie eo adductus sit, quod Nauclum sive Naoclum et Apoecum inter se commutavit, etiam nominum ordinem Strabonem recte attulisse mihi persuasi. Sed omnino levis est haec quaestio.

Apoeci ducis memoria etiam ad posteriora tempora propagata est; *Ἀποίκου* enim nomen haud dubie idem est, quod legitur inter heroes eponymos *Ποίκης* (C. J. Gr. 3064, v. 5),

7) Steph. Byz. s. v. *Τέως. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τῆς Ἀθάμαντος θυγατρὸς Ἀρᾶς. Σκοπουμένου γὰρ τοῦ Ἀθάμαντος, ἔνθα ἱδρύσειε τὸν λαόν, ἀθύρουσα οἷα δὴ παῖς ἐκ λίθων οἰκίαν δειμαμένη, ἔλεγεν· „ἕως σὺ χῶρον ἐσκόπεις, τέως ἐγὼ πόλιν σοι ἐδειμάμην.“ Καὶ διὰ τοῦτο ἡ πόλις οὕτως ὠνομάσθη.* Similiter Pherecydes apud schol. Plat. Hipparch. p. 335 Bekker.

id quod jam Hirschfeldius (p. 24, n. 4) nullis allatis causis suspicatus est. Quod mire confirmatur eo, quod nullus Strabonis codex lectionem *Ἄποικος* (a Casaubono omnibusque reliquis editoribus e Pausania receptam) praebet, sed duo *ποίκης* et *πύκνης*, reliqui *ποίκνης*. Quod reputanti et cum illo titulo comparanti ne minime quidem dubium mihi videtur, quin apud Strabonem, fortasse etiam apud Pausaniam *Ποίκης* sit restituendum. Falsa vero sive Pausaniae ipsius sive librariorum scriptura *Ἄποικος* inde orta esse mihi videtur, quod vox *Ποίκης* propter originis obscuritatem in similem *Ἄποικος* est mutata, quippe quae ad rem valde apta videretur et accommodata.

Atticae originis vestigia praeterea haud dubie insunt in nomine herois eponymi Philaei, unde gens quoque Philaïdarum [8]) (noti sunt Philaïdae Salaminii), deinde in tribu Geleontum (C. J. Gr. 3078. 3079), denique in die festo Anthesteriorum (C. J. Gr. 3044), quae quamquam etiam aliis locis reperiuntur, tamen ab Athenis ducebant originem.

Jam Gerae, Boeotorum ducis, nomen sine dubio servatum est in alterius portus Teiorum nomine, quod est apud Strabonem (14, 644) secundum codices *Γεῤῥαΐδαι* vel *Γεῤῥαιΐδαι*, [9]) apud Livium (37, 27) Geraesticus (scil. portus). E patronymica vocis *Γεραΐδῶν* forma elucet, gentem quandam, scilicet Boeotorum, de Gere appellatam esse illumque ipsum portum, qui ab urbe triginta stadia aberat (Strab. l. l.), incoluisse, unde is gentis nomen accepit. Praeterea recte Boeckhio originem Boeoticam indicare videtur nomen herois eponymi Coprei (C. J. Gr. 3064), quia in schol. Ven. ad Il. O 639 Copreus quidam Boeotus, Haliarti filius, commemoratur.

Denique Chalcidenses Euboeae Teum migrasse sunt putandi, quia in Teiorum finibus vicum, cui erat nomen *Χαλκιδεῖς*, fuisse Strabo (14, 644) testatur. [10]) Huc accedit nomen herois

---

8) C. J. Gr. 3064. 3081; cf. Boeckhium ad 3064.

9) editores ante Kramerum falso receperant *Χεῤῥαιΐδαι*. Fortasse scribendum est *Γεραΐδαι*, ut jam Boeckhius (C. J. Gr. 2, p. 627a. 651a) suspicatus est, propter Livium et Gerae nomen.

10) cf. C. J. Gr. 3064 *Χαλκίδειος* ad gentilitatem significandam, unde sequitur Chalcidenses non solum vicum, sed etiam gentem effecisse. v. infra § 7, n. 11 sqq.

eponymi Cothi et gentis Cothidarum (C. J. Gr. 3064; cf. Boeckhium in addendis); nam Cothum quendam Atheniensem Chalcidem Euboeae condidisse Strabo (10, 447) narrat.

Jam si varios, quos enumeravi, colonos animo complectemur, Jonicam potissimum coloniam Teum fuisse inveniemus. Nam omissis Atheniensibus et Chalcidensibus, quos Jones fuisse nemo nescit, Boeotos illos, qui coloniae participes fuerunt, e meridionali Boeotiae parte oriundos esse verisimile est, ubi gentem Atheniensibus cognatam habitasse constat (Curtius 1^4, 110). Soli igitur Minyae non Jonicae, sed Aeolicae erant originis, sicut ne Codridas quidem, quorum illi erant propinqui, Jones fuisse satis constat.[11]) Quae cum ita sint, non satis accurate Curtius dicere mihi videtur: „Teos, die Minyerstadt" (1^4, 223) et „die Teier, deren Geschlechter sich von minyischen Helden herleiteten" (p. 568).

Posteriores colonos ab urbe Athenis esse profectos vix opus est commemorare, quia Codridae duces fuerunt; num vero etiam Minyae per Athenas iter fecerint, dubitari potest. Chalcidenses denique ab ipsa Chalcide in Joniam transvectos esse valde est verisimile.

Ut nil omittam, hoc loco addo posterioribus temporibus Teios in nummis[12]) caput feminae cum voce ***Τέως*** incidere consuevisse, quam Eckhelius (l. l.) Amazonem Teon esse putat, „a qua urbem suam conditam jactabant Teii." Sed quamquam nonnullae Asiae urbes, ut Ephesus, ab Amazonibus conditae esse dicebantur, tamen Lampro[13]) assentiri malim, qui illam feminam non conditricem, sed heroinam tantum urbis eponymam a Teiis intellectam esse censet, aeque ac Clazomenam et Corcyram.

11) Paus. 7, 2, 3. *Ἴωσι δὲ τοῦ στόλου οἱ μετασχόντες οἵδε Ἑλλήνων· — καὶ Ὀρχομένιοι Μινύαι συγγενείᾳ τῶν Κόδρου παίδων.* Codri majores, Nelidae Pyli regnantes, et ipsi fuerunt Minyae (Curtius 1^4, 110; Müller Orchom. 354 sqq.

12) Eckhel 2, 563; Mionnet 3, 260. suppl. 6, 379—380; Sestini 360.

13) Lampros de conditoribus coloniarum Graecarum p. 41.

§ 2. De antiquissimis temporibus usque ad Persarum impetum.

Regnum Tei initio haud dubie Athamas obtinuit, quem post Jonum adventum Nauclo, Codri filio, concessisse verisimillimum est, quia omnibus urbibus foederis Jonici, cuius Teos et ipsa fuit socia (Her. 1, 142) praeceptum erat, ut e Codridarum gente reges haberent (Paus. 7, 3, 10; v. notam 3). Atque inde ab eo tempore Codridas Tei regnavisse apparet.

De antiquissimorum temporum rebus Teiorum tria veterum testimonia nobis tradita sunt. Ac primum quidem Ephorus[1]) narrat Ephesios, cum Androclo conditore urbis mortuo contra filios ejus seditione facta auxilium sibi quaererent, e Teo et Carena, Mysiae oppido, colonos accepisse de hisque duas tribus Ephesias nomina habere. Quae res compluribus titulis Ephesiis[2]) confirmatur, ubi *φυλὴν Τηίων* invenimus ejusque partes *χιλιαστύας Ἡγητορείων, Ἐχεπτολεμέων, Εὐρυπόμπου*, quibus nominibus adducor, ut duces illius coloniae Teo Ephesum missae Hegetorem, Echeptolemum, Eurypompum, fortasse etiam alios fuisse credam. Ceterum cum illa res haud ita multo post Ephesum ideoque etiam Teum conditam facta sit, facilius intellegimus, quomodo pars Teiorum ab Ephesiis, ut Ephesum transmigraret, commoveri potuerit; nam incolas urbis modo conditae praeter ceteros mobiles et inquietos esse consentaneum est. Quin etiam crediderim inter Teios, quippe qui variae essent originis, discordiam cuicuimodi ortam esse atque eos, qui novarum rerum cupidi erant, occasione oblata Ephesum migrasse, quamquam certi de hac re nil posse affirmari patet.

Atque haud scio an similis causa in iis quoque, quae nunc dicentur, sit statuenda. Phocaeenses enim, cum in foedus Pan-

---

1) apud Steph. Byz. s. v. *Βέννα. μία φυλὴ τῶν ἐν Ἐφέσῳ πέντε, ἧς οἱ φυλέται Βενναῖοι, ὡς Ἔφορος. ὅτι Ἄνδροκλος ὁ κτίσας Ἔφεσον „οὗτος Πριηνεῦσι βοηθήσας ἐτελεύτησε καὶ οἱ πολλοὶ Ἐφέσιοι σὺν αὐτῷ. οἱ οὖν καταλειφθέντες Ἐφέσιοι ἐστασίασαν κατὰ τῶν Ἀνδρόκλου παίδων, καὶ βουλόμενοι βοήθειαν ἔχειν πρὸς αὐτοὺς ἐκ Τέω καὶ Καρήνης ἀποίκους ἔλαβον, ἀφ' ὧν ἐν Ἐφέσῳ δύο φυλαὶ τῶν πέντε τὰς ἐπωνυμίας ἔχουσιν· — τοὺς δ' ὕστερον ἐπήλυδας Τηίους καὶ Καρηναίους ἀποκαλοῦσι.*

2) Wood discov. at Eph. inscr. from the temple of D. 2. 6; inscr. fr. the August. 1. 3.

ionicum ea sola condicione reciperentur, ut reges e gente Codridarum sibi praeficerent, ex urbibus Erythris et Teo tres duces, Deoetam, Periclum, Abartum arcessiverunt.[3]) Atque propter verborum apud Pausaniam collocationem crediderim duos priores ab Erythraeis, Abartum a Teiis missum esse. Jam quod apud Ephorum (Steph. Byz. s. v. *Ἄβαρνος*[4]) legimus in Phocaeensium finibus promunturium *Ἀβαρνίδα* fuisse, nonne verisimile est illum ducem a Teiis missum hujus promunturii heroem eponymum fuisse et apud Pausaniam non *Ἄβαρτον*, sed *Ἄβαρνον* esse legendum? Ego quidem Grotio (hist. Gr. 2, 148, n. 39 Meissner) hoc statuenti sine dubitatione assentior; etiam Raoul-Rochette (3, 95) e Pausania Abarnum tacite affert.

Ut reliquae Asiae minoris coloniae Graecae, imprimis Jonicae, ita Teos quoque mox navigatione et mercatura effloruit, praesertim cum opportunitate loci (duo enim portus ei erant ad septentrionem et ad meridiem conversi) Teiorum animos ad mare potissimum esse adversos per se pateat.[5]) Quae res confirmatur egregio Herodoti[6]) testimonio, quo Teum antiquioribus temporibus mercatura floruisse dilucide apparet. Nam cum Amasis, Aegyptiorum rex (570—526), omnibus Graecis (non, ut antea, solis Milesiis) Naucratim urbem habitandam permisisset iisque, qui mercaturae causa modo ad tempus ibi

3) Paus. 7, 3, 10. *Ἰώνων δὲ οὐ δεχομένων σφᾶς (τοὺς Φωκαεῖς) ἐς Πανιώνιον πρὶν ἢ τοῦ γένους βασιλέας τοῦ Κοδριδῶν λάβωσιν, οὕτω παρὰ Ἐρυθραίων καὶ ἐκ Τέω Δεοίτην καὶ Πέρικλον λαμβάνουσι καὶ Ἄβαρτον.*

4) *Ἑκαταῖος δ' ὁ Μιλήσιος ἐν Ἀσίας περιηγήσει (Ἀβαρνίδα) Λαμψάκου ἄκρην εἶναί φησιν. Ἔφορος δ' ἐν τῇ πέμπτῃ λέγει κληθῆναι αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἐν Φωκαΐδι Ἀβαρνίδος ὑπὸ Φωκαέων τὴν Λάμψακον κτιζόντων.*

5) Strab. 14, 644; Liv. 37, 27—28. cf. de hac re Hirschfeldium p. 24.

6) 2. 178. *Φιλέλλην δὲ γενόμενος ὁ Ἄμασις ἄλλα τε ἐς Ἑλλήνων μετεξετέρους ἀπεδέξατο, καὶ δὴ καὶ τοῖσι ἀπικνευμένοισι ἐς Αἴγυπτον ἔδωκε Ναύκρατιν πόλιν ἐνοικῆσαι· τοῖσι δὲ μὴ βουλομένοισι αὐτῶν οἰκέειν, αὐτοῦ δὲ ναυτιλλομένοισι ἔδωκε χώρους ἐνιδρύσασθαι βωμοὺς καὶ τεμένεα θεοῖσι. τὸ μέν νυν μέγιστον αὐτῶν τέμενος, καὶ οὐνομαστότατον ἐὸν καὶ χρησιμώτατον, καλεύμενον δὲ Ἑλλήνιον, αἵδε πόλεις εἰσὶ αἱ ἱδρυμέναι κοινῇ, Ἰώνων μὲν Χίος καὶ Τέως καὶ Φώκαια καὶ Κλαζομεναί, Δωριέων δὲ Ῥόδος καὶ Κνίδος καὶ Ἁλικαρνησσὸς καὶ Φάσηλις, Αἰολέων δὲ ἡ Μυτιληναίων μούνη. τούτων μέν ἐστι τοῦτο τὸ τέμενος, καὶ προστάτας τοῦ ἐμπορίου αὗται αἱ πόλιές εἰσι αἱ παρέχουσαι.*

commorari vellent, ad aras et templa exstruenda loca dedisset, praeter cetera templa excellebat id, cui nomen erat Hellenium, quod novem urbes Graecae una exstruxerant: Jonicae Chius, Teos, Phocaea, Clazomenae, Doricae Rhodus, Cnidus, Halicarnassus, Phaselis, Aeolica Mytilene. Hac de re accuratius disseruit Curtius (1^4, 407); nobis sufficit Herodoti loco allato demonstrasse, quantam Teii mercaturam illis temporibus fecerint.[7])

Eadem fere aetate Teos, sicut reliquae Asiae urbes Graecae, in Croesi, Lydorum regis (560—546), potestatem redacta est (Herod. 1, 26), nec vero prior condicio hac re magnopere immutata est, cum illae quasi „liberae regni urbes", ut Curtii (1, 557) utar verbis, sint factae.

§ 3. Qua sorte Teii sub Persarum regno usi sint.

Haud ita multo post quam urbes Graecas Croesus imperio suo subjecerat, ipse a Cyro, Persarum rege, regno privatus est (Ol. 58. 3 = 546), quo facto Cyrus per Mazaram eoque mortuo per Harpagum illas urbes, imprimis Jonicas, subigere coepit. Et quamquam Thales Milesius ad concordiam Jones ita adhortatus est, ut unum Joniae concilium idque Tei esse, quoniam Teos *μέσον* esset *Ἰωνίας*, et ceteras urbes quasi pagos fieri juberet,[1]) tamen commoveri non potuerunt, ut in extremo tempore communiter agerent, unde factum est, ut singuli Persarum impetum sustinere non possent.

Ac plurimae quidem urbes Persarum jugum acceperunt, Teii autem, sicut Phocaeenses, cum hostes prohibere non possent, patria relicta alia domicilia sibi quaesiverunt. Qua de re duo potissimum veterum testimonia sunt servata, alterum

---

7) Inter Psammatichi mercenarios Teius quoque Helesibius reperitur (Röhl inscr. Gr. ant. n. 482. b.).

1) Her. 1, 170. *χρηστὴ δὲ καί, πρὶν ἢ διαφθαρῆναι Ἰωνίην, Θάλεω ἀνδρὸς Μιλησίου (γνώμη) ἐγένετο-ὅς ἐκέλευε ἓν βουλευτήριον Ἴωνας ἐκτῆσθαι, τὸ δὲ εἶναι ἐν Τέῳ· Τέων γὰρ μέσον εἶναι Ἰωνίης. τὰς δὲ ἄλλας πόλιας οἰκευμένας μηδὲν ἕσσον νομίζεσθαι, κατάπερ εἰ δῆμοι εἶεν.* Quod si effectum esset, sine dubio Teos prima Jonicarum urbium esset facta, similiter atque Athenae inter Atticas.

Herodoti,[2]) alterum Strabonis,[3]) quibus addas Pseudo-Scymni locum et, si velis, Anacreontis fragmentum.[4]) Harpagus igitur Teum aggere (*χώματι*) obsedit, quem aggerem C. Fr. Hermannos (gesamm. Abhandl. p. 96) per fretum[5]) urbem a continente sejungens exstructum esse censet, nec vero recte, quia Harpagus etiam reliquas urbes Jonicas *χώμασιν* oppugnavit (Herod. 1, 162).[6]) Quo aggere cum moenia urbis cepisset, Teii navibus conscensis in oram Thraciam vecti sunt, ubi Abdera, coloniam Clazomeniorum collapsam, instauraverunt, ita ut Abdera quasi altera Teos fieret. „Nur in seltenen Fällen siedelt die Bevölkerung eines Ortes so massenhaft und ungemischt in eine andere über, wie dies bei Teos und Abdera der Fall gewesen ist" (Curtius Zeitschr. f. Numism. 1, 10). Quo factum est, ut etiam posterioribus temporibus nonnulli Abderitae Teii nominarentur: Protagoras ab Eupolide, qui in *Κόλαξι* dicit: *ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήιος,*[7]) et Hecataeus Abderita, quem Strabo (14, 644) adeo Tei natum esse tradit, per errorem, credo, sed eadem re creatum. Usque in Romanorum tempora inter Teum et Abdera amicitiam intercessisse clare demonstratur Abderitarum decreto (bull. de corr. hell. 4, p. 47 sqq.), quo duo Teii collaudantur

2) 1, 168. *παραπλήσια δὲ τούτοισι* (Phocaeensibus) *καὶ Τήιοι ἐποίησαν. ἐπεί τε γάρ σφεων εἷλε χώματι τὸ τεῖχος Ἅρπαγος, ἐσβάντες πάντες ἐς τὰ πλοῖα οἴχοντο πλέοντες ἐπὶ τῆς Θρηικίης καὶ ἐνταῦθα ἔκτισαν πόλιν Ἄβδηρα· τὴν πρότερον τούτων Κλαζομένιος Τιμήσιος κτίσας οὐκ ἀπώνητο, ἀλλ' ὑπὸ Θρηίκων ἐξελασθεὶς τιμὰς νῦν ὑπὸ Τηίων τῶν ἐν Ἀβδήροισι ὡς ἥρως ἔχει.*

3) 14, 644. *Ἀνακρέων-ἐφ' οὗ Τήιοι τὴν πόλιν ἐκλιπόντες εἰς Ἄβδηρα ἀπῴκησαν, Θρᾳκίαν πόλιν, οὐ φέροντες τὴν τῶν Περσῶν ὕβριν, ἀφ' οὗ καὶ τοῦτ' εἴρηται· Ἄβδηρα, καλὴ Τηίων ἀποικία. πάλιν δ' ἐπανῆλθόν τινες αὐτῶν χρόνῳ ὕστερον.*

4) Scymn. v. 670. *Τήιοι δὲ τὴν πόλιν* (Abdera) *συνῴκισαν φυγόντες ὑπὸ τὰ Περσικά.* Anacr. Fr. 36. *αἰνοπαθῆ πατρίδ' ἐπόψομαι.*

5) fretum Hermannus falso dicit; est potius canalis, de quo cf. Hirschfeldium p. 24.

6) contra Hermannum dixit etiam Hirschfeldius p. 25, n. 10.

7) Diog. L. 9, 50; Meineke Fr. 10. De Eupolide cogitavit haud dubie etiam Steph. Byz. s. v. *Τέως: ἀφ' οὗ* (scil. *ἀπὸ τοῦ ἐθνικοῦ Τήιος*) „*Πρωταγόρας ὁ Τήιος.*" cf. Suidam s. v. Prot. *Πρωταγόρας Ἀβδηρίτης. — τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ Τήιον ἔγραψαν*, et Eudociam p. 356, quae iisdem fere verbis utitur.

et honorantur, quod pro Abderitis legati Romam sese contulerant.

Etiam e nummis affinitas Tei et Abderorum potest perspici; etenim utriusque urbis creberrimus typus est gryphus atque tantopere nummi inter se sunt similes, ut sine inscriptione discerni omnino non possint.[8]) C. O. Müllerus[9]) quidem vetus Apollinis templum Deraeae, oppidi Abderis vicini, respiciens Teios illum typum Abderis assumptum, cum postea in patriam reverterentur, huc transtulisse censet. Sed quamquam gryphus Apollinis comes est, quo infra erit redeundum, tamen non intellego, qui fieri potuerit, ut Abderitae Deraei Apollinis signum in suis nummis fingerent, atque est profecto multo verisimilius Teios Apollinis cultum nummosque eo pertinentes Abdera transtulisse. Qua in re cum omnes fere viri docti consentiant, tum Curtius (hist. Gr. 1, 625, n. 8) contra Hermanni sententiam dicere videtur.

De tempore Abderorum conditorum pauca addere mihi liceat. Atque equidem Hieronymi testimonio fidem habendam esse credo, qui sub Olymp. 58, 4 (= 545/4) tradit: Arpagus — adversus Joniam dimicat. Etenim cum Croesum anno 546 regno privatum esse inter omnes fere constet, optime convenit, si uno vel duobus annis post Joniam a Persis subjectam esse sumimus. Similiter Dunckerus (4, 323. 339), qui Croesi regni exitium ad annum 549 refert, Harpagi expeditionem anno 547 factam esse censet. Nec vero invenio, quibus causis commoti Clintonius (Fast. Hell. 1, 240) et Baehrius (ad Her. 1, 168) anno 543 et Raoul-Rochette (3, 400) et Boeckhius (C. J. Gr. 2, p. 98 b.) anno 541 Abdera condita esse statuant. Quod autem Bergkius (ad Anacr. p. 139) ex Herodoto[10]) concludit Joniam

8) Eckhel 2, 21; Curtius Zeitschr. f. Num. 1, p. 2.

9) Dorier 1, 224, cui assentiuntur Hermannus p. 98 et Gerhardus griech. Myth. § 299, n. 2 c.

10) 1, 177. *τὰ μὲν νυν κάτω τῆς Ἀσίας Ἅρπαγος ἀνάστατα ἐποίεε, τὰ δὲ ἄνω αὐτῆς αὐτὸς Κῦρος, πᾶν ἔθνος καταστρεφόμενος καὶ οὐδὲν παριείς. Τὰ μέν νυν αὐτῶν πλείω παρήσομεν· τὰ δέ οἱ παρέσχε πόνον τε πλεῖστον καὶ ἀξιαπηγητότατά ἐστι, τούτων ἐπιμνήσομαι.* 178. *Κῦρος ἐπεί τε πάντα τῆς ἠπείρου ὑποχείρια ἐποιήσατο, Ἀσσυρίοισι ἐπέθετο.*

et Babyloniam eodem tempore esse expugnatas ideoque, cum de Babylone constet annus Ol. 60. 3 (= 538/7), Jones quoque circa O. 60 (= 540 — 536) subjectos esse,[11] mihi quidem, ut duae illae res eodem tempore gestae sint, ex Herodoti loco tam non effici videtur, ut contrarium potius eo demonstrari pro certo habeam. Denique Scymni verba, quae sunt „*ὑπὸ τὰ Περσικά*,“ quibus proprie significatur, „sub bellorum Persicorum tempus,“ parum diligenter dicta esse vix est quod moneam.

Etsi Herodotus omnes Teios Abdera migrasse disertis verbis tradit,[12] tamen non satis accurate eum locutum esse ex Arriani fragmento[13] elucet, qui Phaenagoram Teium Persarum superbiam effugientem Phaenagoriam sive Phanagoriam, urbem ad Bosporum Cimmerium sitam, condidisse narrat. Quis autem dubitet hanc rem ad Harpagi referre expeditionem, praesertim si Arriani et Strabonis (cf. n. 3) similia verba comparaverit (*φεύγων τὴν τῶν Περσῶν ὕβριν*; *οὐ φέροντες τὴν τῶν Περσῶν ὕβριν*)? Raoul-Rochette quidem (3, 394) et Boeckhius (C. J. Gr. 2, p. 98 b.) et Grotius (2, 483) hoc modo Arriani verba intellexerunt. A Phanagora conditore Phanagoriam nomen ducere docent etiam Hecataeus[14] et Eustathius (l. l.), deinde nomen urbis *Φαναγόρου πόλις*, quod reperitur apud Scylac. 72 indeque apud Anon. Peripl. Pont. Eux. 46, unde etiam apud Amm. Marcell. 22, 8, 30 „Phanagorus“ urbs nominata est. Teiam autem urbis originem testatur praeter Arrianum Pseudo-Scymnus,[15]

---

11) idem sentiunt Hermannus p. 96; Hirschfeldius p. 25.

12) cf. supra n. 2.

13) apud Eustath. ad Dion. Perieg. 549. *ὅτι ἐντὸς τῆς Μαιώτιδος νῆσος ἀπειρεσίη ἐστήρικται, ἣν καλοῦσι Ταυρικήν, ἐν ᾗ Φαιναγόρα καὶ Ἑρμώνασσα, Ἰώνων ἄποικοι πόλεις, ὧν ἡγήσατο Φαιναγόρας τις καὶ Ἕρμων, ἀφ' ὧν οἱ τόποι καλοῦνται. Ἀρριανὸς δὲ οὕτω φησί· „Φαιναγόρεια, ἣν ἔκτισε Φαιναγόρας ὁ Τήιος, φεύγων τὴν τῶν Περσῶν ὕβριν. Ἔτι δὲ Ἑρμώνασσα ἐπὶ Ἑρμωνάσσῃ τῇ γυναικὶ Σημάνδρου Μυτιληναίου τινὸς, οὗ τινας τῶν Αἰολέων εἰς ἀποικίαν μεταστήσαντος καὶ θανόντος ἐν τῷ τῆς πόλεως οἰκισμῷ ἐγκρατὴς ἐγένετο καὶ τὸ ἑαυτῆς ὄνομα τῇ πόλει ἐπέθετο.*“

14) apud Steph. Byz. s. v. *Φαναγόρεια, πόλις, ἀπὸ Φαναγόρου, ὡς Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ.*

15) v. 886. *εἶτ' ἔστιν Ἑρμώνασσα Φαναγόρειά τε, ἣν Τηίους λέγουσιν οἰκίσαι ποτέ*; eoque auctore iisdem verbis Anon. Per. Pont. Eux. 47.

cum Eustathius (l. l.) et Dionysius Periegeta[16]) de Jonica, Scylax (72) et Amm. Marcell. (l. l.) de Graeca origine loquantur. Jam si Arriani testimonium sequimur, non possumus assentiri Curtii (1, 401,2) sententiae, qui Phanagoriam jam prius, septimo fere saeculo, eodem tempore quo plerasque Ponti colonias conditam esse censet et praeter Teios alios quoque Jones coloniae participes fuisse suspicatur.

Nec vero Hermonassa quoque sive Hermonea (Steph. Byz. s. v.) a Teiis originem ducere mihi videtur, ut Boeckhius censet Hermonem, urbis conditorem (Eust. l. l.), Teium appellans (C. J. Gr. 2, p. 99 a). Nam nusquam Teia urbis origo ne tecte quidem significatur; immo vero Arrianus (l. l.) a Mytilenaeo quodam Semandro eam conditam esse tradit, cujus uxor Hermonassa hujusque (ut Boeckhius conicit) frater vel pater Hermon cur Teo oriundi Boeckhio videantur, non intellego, nisi forte quia ab Eustathio Phaenagoras et Hermon una nominantur. At Jonicam Hermonassae originem testantur Dionysius (l. l.) eoque auctore Steph. Byz. s. v., praeterea Eustathius (l. l.). Unde mihi quidem nil effici videtur nisi hoc, ut cum Aeolibus illis, quos duxit Semandrus, Jones Hermone duce sese conjunxerint; nam saepissime fiebat, ut diversarum urbium homines ad coloniam ducendam se congregarent; ac sane possunt Teii iis interfuisse, nec vero quicquam ea de re scimus. Haec si tenemus, Hermonassae originem a Tei per Harpagum expugnatione plane sejungendam esse patet.

Qua opportunitate uti mihi liceat, ut errorem aliquem corrigam, qui ad Teiorum colonias pertinet. Etenim apud Pseudo-Scymnum (v. 707) olim legebatur: *ἑξῆς Ἐλαιοῦς, Τηικὴν ἀποικίαν ἔχουσα, Φόρβας ἣν συνοικίσαι δοκεῖ*, unde apud omnes, quantum scio, recentiores, ut apud Hermannum (ant. publ. Gr. § 78, n. 9) Elaeus in Teiorum coloniarum numero refertur. Sed cum codex *ἐλαιουσσα ττικήν* praebeat, Letronnius primus eumque secutus Muellerus (geogr. min.) haud dubie recte *Ἐλαιοῦς, Ἀττικὴν* scripserunt. Jam quod Plutarchus (Parall. 41)

---

16) v. 552. *ἧς ἔπι Φαιναγόρη τε καὶ εὔκτιτος Ἑρμώνασσα, ἔνθα τε ναιετάουσιν Ἰωνίδος ἔκγονοι αἴης.* cf. versionem Prisciani v. 565.

Hegesistratum Ephesium Elaeuntem condidisse tradit, haec contraria testimonia ita inter se concilianda mihi videntur, ut Athenienses et Ephesii aut conjuncti aut utrique separatim coloniam eo duxisse putentur.[17] Id constat Teios Elaeuntis condendi participes non fuisse.

Sed revertamur, unde degressi sumus. Vidimus Teios ab Harpago obsessos partim Abdera, partim Phanagoriam migrasse. Quid quod Anacreontem eo tempore non Abdera, sed Samum ad Polycratem confugisse veri est simile?[18] Atque haud scio an etiam alii alio refugerint; tamen id constare mihi videtur neminem in urbe ipsa remansisse, id quod Grotius (2, 483) et Hermannus (l. l. p. 98) posterioribus temporibus, ubi Teos rursus habitabatur, nisi falso negant.[19] Nam quod Strabo (l. l. cf. n. 3) nonnullos eorum, qui Abdera condiderant, aliquanto post revertisse narrat, id circiter annos 530—520 factum esse crediderim, ita ut optime conveniat, quod Anacreontem post Hipparchum Atheniensium tyrannum anno 514 interfectum Teum revertisse Bergkius (p. 141) suspicatur. Ut Anacreontem, ita alios quoque in patriam rediisse licet arbitrari. Ac brevi tempore Teum rursus satis effloruisse dilucide apparet ex eo, quod Teii rebellioni Jonicae per Histiaeum conflatae tanta multitudine interfuerunt, ut in pugna Ladensi (anno 494) decem et septem naves praestarent itaque Prienensium duodecim, Erythraeorum octo, Phocaeensium et Myusiorum ternas naves multo superarent (Herod. 6, 8). Jam si reputamus, quam breve tempus inter restitutam urbem, quae haud dubie ab Harpago deleta erat, et hanc pugnam interfuerit, facere non possumus quin admiremur, quanta celeritate Teos rursus creverit et effloruerit. Quae modo diximus, si vera sunt, Hermanni sententia facile caremus, qui post annum demum 480, cum omnes Archipelagi oras Graeci Persarum imperio liberarent, partem Abderitarum Teum revertisse censet, cum Teiorum pugnae Ladensis socie-

17) Similiter Raoul-Rochette 3, 140 statuit de Teiis et Ephesiis.

18) Hoc Bergkius ad Anacr. p. 139 mihi quidem probavit; idem censent Hermannus p. 97 et Hirschfeldius p. 25, n. 11. Aliter Fischerus proleg. ad Anacr. p. 57 et Muellerus Orchom. 394.

19) Similiter Hirschfeldius p. 25 censet.

tatem falso ita explicet, ut urbem semper habitatam mansisse arbitretur.

Sed Persae cum in pugna Ladensi Jones vicissent, gravissimas poenas de iis sumpserunt. Atque hic liceat mihi proponere, quid de Teiorum supplicio ego sentiam, etsi in conjectura positum minime pro certo illud velim venditare. Stephanus Byzantius enim alteram urbem Teum in finibus Dyrbaeorum sitam fuisse tradit, quam gentem, cum Bactrianae et Indiae esset vicina,[20]) Persarum imperio subjectam fuisse est verisimile. Jam si considero Milesios post illam defectionem a Dario Ampen, in urbem ad Tigridis ostium sitam, traductos esse (Herod. 6, 20; cf. Plin. 6, 28, 159; Tzetz. Chil. 7. 993), Eretrienses paulo post (anno 490) ab eodem Ardericcam, in vicum Cissiae provinciae (Herod. 6, 119; cf. Strab. 16, 747; Philostr. Vit. Ap. 1, 24; Diog. L. 3, 33), Barcaeos jam prius in Bactrianae vicum, cui nomen Barcae dederunt (Her. 4, 204), deinde Boeotorum nonnullos a Xerxe in locum Susae vicinum, cujus nomen erat *Κέλωνες* (Diod. 17, 110), denique Branchidas ab eodem in Sogdianam (Strab. 11, 517/8) —, haec omnia si considero, imprimis eo commotus, quod cognominem urbem Barcam reperio, non possum quin etiam Teios vel omnes vel partem aeque ac Milesios urbe expugnata a Dario in extremis regni regionibus, in Dyrbaeis, collocatos esse credam, ubi alteram urbem Teum incoluerunt. Nam quod Herodotus[21]) tradit Persas tantummodo insularum incolas nec vero urbium in continente sitarum ad unum omnes cepisse, id nostrae sententiae non repugnare apparet. Ea autem de causa Teios potissimum (praeter Miletum et insulas) Persis poenas dedisse crediderim, quod antea imperium eorum effugerant et tunc majore navium multitudine quam reliqui (si iterum Miletum et insulas excipimus, cf. Her. 6, 8) rebellionis fuerant participes.

Huc pertinet etiam, quod Suidas tradit Anacreontem propter

20) Ctesias apud Steph. Byz. s. v. *Δυρβαῖοι.*

21) 6, 31. *ὅκως δὲ λάβοι τινὰ τῶν νήσων, ὡς ἑκάστην αἱρέοντες οἱ βάρβαροι ἐσαγήνευον τοὺς ἀνθρώπους. — αἵρεον δὲ καὶ τὰς ἐν τῇ ἠπείρῳ πόλιας τὰς Ἰάδας κατὰ τὰ αὐτά· πλὴν οὐκ ἐσαγήνευον τοὺς ἀνθρώπους· οὐ γὰρ οἷά τ' ἦν.*

Histiaei seditionem Teo aufugisse et Abdera migrasse;[22]) cui testimonio cur fidem abrogemus, cum Bergkio (Anacr. p. 141) non video. Nec vero e Suidae loco cum Chishullio (Antiq. Asiat. p. 100) et Hirschfeldio (p. 25, n. 13) colligendum est omnes Teios iterum Abdera confugisse, id quod per se ipsum non est probabile.

Ceterum non omnes Tei incolas censuerim a Persis in longinquas illas regiones esse remotos. Nam siquidem Anacreon, qui haud ita multo post mortuus esse est putandus,[23]) in patria sepultus est, id quod Simonides[24]) in epigrammate significat, haud dubie tempore ejus mortis Teos habitabatur, nec vero probabile mihi est tam paucis annis a plane novo initio urbem effloruisse, cujus incolae non, ut antea Abderis, possent redire. Quare in urbe expugnata aliquanta hominum multitudo remansisse mihi videtur, quamquam dubitari non potest, quin Teos abducta parte incolarum admodum sit debilitata.

§ 4. Quae ratio inter Teios et Athenienses Lacedaemoniosque intercesserit.

Afflictas vires Teum paulatim refecisse probabile est, imprimis cum Persae anno 479 apud Mycalen essent victi, qua in pugna Jonicae Asiae minoris coloniae denuo ab illis defecerunt (Her. 9, 103—104). Nec vero statim, siquidem Herodotum (9, 106) sequimur, omnes illae urbes foederi Graecarum civitatum, cui Lacedaemonii tunc praeerant, sese adjunxerunt, sed solae insulae, ut Samus, Chius (cf. Curtium 2, 106 imprimisque Kirchhoffium in Herm. 11, 1 sqq., contra quem Herbstius in Philol. 40, 316 sqq. dicit). Sed jam nonnullis annis post, cum Athenienses foederis principatum nacti essent (Ol. 76, 1= 476/5), Asiae ipsius civitates insulas secutae sunt (Curtius 2, 121).

Inde igitur ab illo tempore Teos quoque foederis Attici

---

22) s. v. Anacr. et iisdem fere verbis s. v. *Τέω.*

23) quamquam Darii expeditionis tempore (a. 490) etiamtum vixisse videtur (Bergkius p. 263).

24) Anth. Pal. 7, 25. *οὗτος Ἀνακρείοντα, τὸν ἄφθιτον εἵνεκα Μουσῶν ὑμνοπόλον, πάτρης τύμβος ἔδεκτο Τέω.*

socia fuit, nec profecto exiguarum fuit urbium. Quod concludere licet e latereulis tributorum a sociis Athenas missorum vel potius sexagesimae partis Minervae dedicatae. Nam quamquam sine dubio variis rationibus Athenienses in tributis imponendis movebantur, tamen imprimis ad magnitudinem et divitias civitatum eos spectasse per se patet (Curtius 2, 243/4). Quare cum Teios ab Ol. 81, 3 usque ad Ol. 85, 1 (454—440) sena talenta quotannis pependisse videamus (C. J. A. 1, p. 227), satis amplam et opibus florentem urbem eorum fuisse concedendum est. Quin etiam maximarum Joniae urbium eo tempore fuisse videtur, siquidem Prienenses singula talenta, Myusii 1 et 1½, Lebedii 1 et 3, Clazomenii 1½, Colophonii 1½ et 3, Phocaeenses 2 et 3, Milesii 5 et 10, Ephesii 6 et 7½, Erythraei 7 talenta pependerunt.

Jam in bello Peloponnesiaco bis a veteribus Teos commemoratur. Ac primum quidem Thucydides (8, 16. 19. 20) de defectione Teiorum anno 412 facta plura tradit. Nam ut reliquae Joniae urbes (in his Chius, Clazomenae, Erythrae) Alcibiade auctore ab Atheniensibus defecerant, ita Teii quoque ad Lacedaemonios erant propensi. Qua de causa Strombichides, dux Atheniensium, Samo Teum navigavit, ne incolae deficerent impediturus (*ἡσυχάζειν ἠξίου αὐτούς*). Sed cum Chalcideus, Lacedaemoniorum classis praefectus, simulque Clazomeniorum et Erythraeorum exercitus terrestris adveniret, Strombichides Teum se obtinere posse non ratus Samum effugit Chalcideo persequente, unde factum est, ut Teii, cum primo recusavissent, illum exercitum terrestrem in urbem reciperent. Qui non multo post *τὸ τεῖχος, ὃ ἀνῳκοδόμησαν οἱ Ἀθηναῖοι τῆς Τηίων πόλεως τὸ πρὸς ἤπειρον* nonnullis Persarum adjuvantibus evertit. Quaeritur, quale *τεῖχος* hoc loco sit intellegendum. Ac nonnulli Thucydidis editores, ut Kruegerus et Classenius,[1]) imprimis loco capitis 20[2]) commoti, castellum intra urbem, sed ad continentem versus situm intellegunt; alii, ut Boehmius, eam moenium partem, quae ad continentem pertinebat. Quae Boehmii sententia facillime potest refelli; sed ne altera quidem opinio

1) Idem censet Curtius 2, 683. Poppo quoque huc inclinat.

2) *τὸ ἐν τῇ Τέῳ τεῖχος.*

vera mihi videtur. Nam consideranti Teum in paeninsula sive potius in paeninsulae isthmo[3]) sitam fuisse, multo probabilius mihi est Athenienses isthmum itaque urbem muro a continente sejunxisse vel potius veterem ejusmodi murum collapsum restituisse (nam *ἀνοικοδομεῖν* est „iterum aedificare"). Sic facillime hic Thucydidis locus intellegitur nec *τὸ ἐν τῇ Τέῳ τεῖχος* (c. 20) cur de tali muro dici non possit, video. Ceterum ille murus, quem, ut a Persis urbem tuerentur sibique locum tutum redderent, Athenienses videntur exstruxisse, testimonio est, quanti momenti Teos, quae erat opportunitas loci, Atheniensibus visa sit.[4])

Paulo post Clazomenios et Erythraeos receptos Chii quoque nonnullis cum navibus Teum confugerunt, sed utrique urbem mox reliquere (Thuc. 8, 19). Quo facto Tissaphernes cum exercitu aggressus (iis, quos supra dixi, Persis praeerat Stages, *ὕπαρχος* Tissaphernis) cum reliquias muri delevisset (*ἐπικαθελὼν τὸ ἐν τῇ Τέῳ τεῖχος, εἴ τι ὑπελείφθη*), et ipse decessit.

Nec vero diu Teos a Lacedaemoniorum stetit partibus, sed paulo post Tissaphernis discessum Diomedon, dux Atheniensium, cum decem navibus advectus pactionem cum Teiis ea condicione fecit, ut Athenienses quoque in urbem reciperent. Prorsus autem Teios ad illorum revertisse partes vel ex eo apparet, quod statim sum dicturus. Hoc recte monet Kruegerus ad Dion. Histor. p. 342, 11.

Etenim Diodorus[5]) tradit Callicratidam, Lacedaemoniorum nauarchum, post pugnam Notiensem (a. 407) Teum impetu nocturno expugnatam diripuisse, postquam Delphinium, castellum Atheniensium in Chio situm, delevit. Xenophon[6]) autem

3) Strab. 14, 644 in paeninsula Teum sitam esse dicit; satis quidem recte, sed proprie in isthmo urbem fuisse e parietinis apparet. cf. tabulam apud Hirschf. p. 24. Quod Plinius (5, 31) inter insulas Teum refert, rectissime Hirschf. p. 24 explicare mihi videtur.

4) his in rebus Hirschfeldio p. 25 assentior.

5) 13, 76. *Καλλικρατίδας δὲ τὸ μὲν φρούριον* (Delphinium) *παραλαβὼν κατέσκαψεν, ἐπὶ δὲ Τηίους πλεύσας καὶ νυκτὸς παρεισπεσὼν ἐντὸς τῶν τειχῶν διήρπασε τὴν πόλιν.*

6) Hell. 1, 5, 15. *Λακεδαιμόνιοι δὲ ὀλίγῳ ὕστερον* (post pugnam Notiensem) *αἱροῦσι Δελφίνιον καὶ Ἠιόνα.*

Lacedaemonios paulo post eandem pugnam Delphinium et Eïonem cepisse narrat. Quae testimonia si inter se comparaverimus, quamquam Xenophon illas res jam a Lysandro, qui ante Callicratidam nauarchus erat, gestas esse tradit, tamen nobis persuadebimus de eadem re utrumque cogitasse. Jam cum Eïonem, urbem Thraciae, minus apte hoc loco positam esse apertum sit, Xenophontis locus per conjecturam sanandus esse mihi videtur. Quare plane assentior nonnullis viris doctis, qui pro *Ἠιόνα* scribunt vel *Τηίους* (Weiske) vel *Τεῖον* (Sievers comment. hist. de Xen. Hell. 82, n. 138; sensu rectum nec vero forma) vel *Τέων* (Schneider et Krueger ad Dion. Hist. p. 333, n. 60) vel *Τηίων* [*πόλιν*] (Weissenborn Hellen 174); maxime autem Weissenbornii conjecturam probo[7]. Sed utrum Lysandro an Callicratida duce illa expeditio sit facta, dubium est, quamquam ego quidem cum Grotio Xenophontem sequi malim, ita ut jam in anno 407 sit collocanda, cum Curtius (2, 754) Diodorum secutus Callicratida demum duce (anno 406) illas res gestas esse statuat.

Cum illa Callicratidae expeditione conjungere velim, quam narratiunculam apud Aeneam Poliorceticum (18,9) de Tei aliqua expugnatione legimus. Nam cum Aeneas in medium fere quartum a. Chr. saeculum incidat, ad aliam rem illam narrationem referri posse vix credo. Incipit autem a verbis: *συμβάλλεται γενέσθαι Τημένῳ Ῥοδίῳ*[8]) *ἐν Ἰωνίᾳ Τέως πόλις εὐμεγέθης προδοθεῖσα ὑπὸ τοῦ πυλωροῦ κτλ.* Jam cum in iis, quae sequuntur, noctu urbem proditam esse narretur, vides, quam bene id conveniat cum Diodori verbis *νυκτὸς παρειςπεσὼν ἐντὸς τῶν τειχῶν.* Ille Temenus autem Rhodius fuerit legatus Callicratidae, cui, ut Teum caperet, sit mandatum: notabile vero, quod Rhodii paulo antea (a. 412) ad Peloponnesios defecerant (Thuc. 8, 44).

Ab illo igitur tempore Teos sub Lacedaemoniorum fuit potestate, dum a Conone et Pharnabazo post pugnam Cnidiam

7) Etiam Grotius 4, 427, n. 35 Teum pro Eïone ponit.

8) prius legebatur falso *Ῥοδίων*, unde Casaubonus (ad h. l.) et Meursius (Rhodus c. 18 in opp. 3. p. 731) ad Rhodiorum imperium aliquando Teum pertinuisse concluserunt.

(a. 394) cum reliquis illius orae oppidis ad defectionem commota et liberata est[9]). Sed jam septem annis post (anno 387) omnes Graecae Asiae minoris civitates Antalcidae pace Artaxerxae, Persarum regi, turpissime sunt traditae (Xen. Hell. 5, 1, 31). Quam misera autem condicione illae urbes inde usae sint, id enarrare ab hac commentatione alienum est; sufficiat ad Isocratem[10]) reicere.

§ 5. Teos sub Alexandri Magni et diadochorum potestate.

Persarum dominatione tandem liberati sunt Graeci Asiatici ab Alexandro Magno, qui anno 334 Asiam minorem imperio suo subjecit et civitates Graecas libertate donavit (Arrian. 1, 18, 1—2). Et Jones quidem etiam Strabonis temporibus Alexandri memoriam celebrabant ludis Alexandreis, qui in nemore illi consecrato agebantur[1]). Quod nemus cum in Teiorum finibus situm esse videatur (nam Chalcidenses vicus erat Teiorum; cf. § 1, n. 10), cum Hirschfeldio (p. 26) crediderim Teios praecipua commoda ab Alexandro accepisse. Ac primum quidem huc referre velim, quod Bacchi templum et theatrum Alexandri temporibus esse aedificata verisimile est[2]). Deinde illum canalem, quo paeninsulam Mimantis, a Teo ad septentrionem versus sitam, a continente sejungi Alexander jussit[3]), sine dubio Teiorum navigationi et mercaturae magnae utilitati futurum

---

9) Diod. 14, 84. *Φαρνάβαζος δὲ καὶ Κόνων μετὰ τὴν ναυμαχίαν* (Cnidiam) *ἀνήχθησαν ἁπάσαις ταῖς ναυσὶν ἐπὶ τοὺς τῶν Λακεδαιμονίων συμμάχους. καὶ πρῶτον μὲν Κῴους ἀπέστησαν, εἶτα Νισυρίους καὶ Τηΐους.* cf. Xen. Hell. 4, 8, 1 sq.; Dinarch. 1, 14.

10) 4, 115 sqq.; cf. Curtium, 3, 208/9.

1) Strab. 14, 644. *ὑπέρκειται δὲ τῶν Χαλκιδέων ἄλσος καθιερωμένον Ἀλεξάνδρῳ τοῦ Φιλίππου, καὶ ἀγὼν ὑπὸ τοῦ κοινοῦ τῶν Ἰώνων Ἀλεξάνδρεια καταγγέλλεται συντελούμενος ἐνταῦθα.* In sequentibus illud nemus *τὸ Ἀλεξάνδρειον* nominatur.

2) Welcker griech. Trag. p. 1303; Lüders dionys. Künstl. p. 75. cf. § 16, n. 8.

3) Plin. 5, 31. quo in loco Magnus Alexander intercidi planitiem eam jusserat 7500 passuum longitudine. ut duos sinus jungeret Erythrasque cum Mimante circumfunderet. Paus. 2, 1, 5. *Ἀλεξάνδρῳ τε τῷ Φιλίππου διασκάψαι Μίμαντα ἐθελήσαντι μόνον τοῦτο οὐ προεχώρησε τὸ ἔργον.* cf. Droysen hist. Hellen. 1, 1, p. 202, n. 4.

fuisse puto, atque haud scio an ipsa opportunitate Tei praeter alia commotus consilium illud Alexander ceperit. Neque vero opus est effectum.

Post Alexandrum mortuum cum diadochi de regno ejus certarent, Asia postremo Antigoni facta est, et urbes quidem orae occidentalis anno 319 (Diod. 18, 52 extr.), id quod pace anni 311 est confirmatum (Diod. 19, 105). Teum et ipsam ejus fuisse demonstratur eo, quod nunc ipsum allaturus sum. Nam insignis quidam et grandis titulus nobis est servatus [4]), litteras ab Antigono ad Teios datas continens, quibus Lebedii Teum transmigrare jubentur singulaeque res ad hoc necessariae praescribuntur. At vero hic *συνοικισμὸς* mihi quidem effectus non esse videtur. Nam Pausanias duobus locis [5]) disertis verbis narrat Lysimachum Lebedios Ephesum traduxisse, quod egregie confirmatur titulo Ephesio, in quo *χιλιαστὺς Λεβεδίων*, pars tribus Ephesiorum, reperitur [6]) Atqui si hoc verum est — est autem verum —, num ullo pacto credibile est paucis annis ante (nam Lysimachus Antigonum regno privavit) eosdem Lebedios Tei collocatos esse? Mihi quidem non est. At titulus id factum esse docet. Quid vero, si ea, quae ibi praescribuntur, non sunt effecta? Quod quomodo fieri potuerit, paucis demonstrabo. Antigonus tum, cum litteras scripsit, jam rex fuit (v. 109), rex autem factus est anno 306; porro jam anno 302 Teos a Prepelao, Lysimachi legato, est expugnata (v. infra); hoc igitur quadriennio litterae scriptae sunt. Atqui Antigonus, quamquam statim Lebedios in Teiorum domiciliis eum collocasse e titulo concludendum est (cf. imprimis v. 125—126), tamen novas Lebediorum aedes intra tres demum annos exstrui jussit (v. 15). Quodsi anno 304 fere vel 303 litteras scriptas esse statuimus, perfacile possumus explicare, quomodo factum sit, ut *συνοικισμός* incoharetur quidem, sed Prepelai adventu

---

4) Lebas voyage archéologique 3, n. 86.

5) 1, 9, 7. *συνῴκισε δὲ καὶ* (Lysimachus) *Ἐφεσίων ἄχρι θαλάσσης τὴν νῦν πόλιν, ἐπαγαγόμενος ἐς αὐτὴν Λεβεδίους τε οἰκήτορας καὶ Κολοφωνίους, τὰς δὲ ἐκείνων ἀνελὼν πόλεις.* 7, 3, 5. *Λεβεδίοις δὲ ἐποίησε μὲν Λυσίμαχος ἀνάστατον τὴν πόλιν, ἵνα δὴ συντέλεια ἐς μέγεθος τῇ Ἐφέσῳ γένοιτο.*

6) Wood discov. at Eph. inscr. from the temple of Diana 7.

tolleretur, praesertim cum Lebedii haud dubie inviti Teum migraverint.

Nec vero solum augeri Teum Lebediis, sed etiam urbem ipsam vel totam vel partem everti pulchrioremque aedificari Antigonus voluit (v. 6 sqq.). Lebedios autem habitare jussit, ut videtur, circa veterem urbem, sed ad paeninsulam versus (cum Teos in isthmo sita esset), quod si statuitur, duo loci facile explicantur, prior v. 14 *ἡ περιβαλλομένη πόλις*, alter v. 70—71 *ἐὰν δέ τινες ὑμῶν μετοικίζωνται εἰς τὸν χερσόνησον* i. e. si Teiorum quoque aliqui in paeninsulam, quo Lebedii, migrant.

Jam si quaerimus, qua re commotus Antigonus Teios Lebediis augere urbemque renovare sit molitus, non potest dubitari, quin ipse quoque opportunitatem loci perspiciens magnam et illustrem urbem ibi condere voluerit, cui, si perfecta esset, Antigoniae nomen eum impositurum fuisse est verisimile, sicut in Troade per synoecismum Antigoniam urbem (postea Alexandream nominatam) condidit (Strab. 13, 593). Omnino autem Alexandri et diadochorum urbium condendarum cupiditas est notior, quam quae pluribus illustranda esse videatur.

Denique ex illo titulo, quem tam mutilum esse valde est dolendum, complura de condicione, qua eo tempore Teos usa est, comperimus. Sunt autem duae potissimum res. Primum enim satis deserta et inops urbs fuisse videtur propter bella, opinor, a diadochis gesta, quae res ex eo plane elucet, quod cunctis Teiis et Lebediis dimidiam aedium partem ad habitandum sufficere v. 5 sqq. indicatur. Praeterea v. 78 rei frumentariae Teii non satis providere dicuntur, videlicet quod opes iis deerant; deinde v. 87/8 pecuniae debitae commemorantur; denique v. 112 dicitur omnes urbis reditus prorsus consumi, ita ut ad alias res nil suppeditet. Opulentam autem urbem fuisse neque eo demonstratur, quod v. 116 sescenti divitissimi commemorantur, neque eo, quod v. 18—20 Teii Lebediorum debita suscipere jubentur.

Deinde e litteris plane videmus (et id est alterum), quam exigua libertas urbium iis temporibus fuerit. Nam quamquam

pace anni 311, ut Graecae civitates liberae essent, constitutum erat (Diod. 19, 105), quod Antigonus ipse v. 89 (cf. 85 sqq. 91 sqq.) significasse videtur, tamen omnia ea, quae ad urbes pertinebant, ad suum arbitrium eum rexisse ex unoquoque fere tituli versu apparet, et quaecunque legati a Teiis et a Lebediis ad hanc rem arcessiti protulerant, ipse solus quid fiat decernit, quae singula enumerare non meum est. Unum ut addam, v. 82/3 (cf. 73) demonstratur Antigonum urbibus adeo tributa imposuisse, quae ab Alexandro iis remissa esse Arrianus (1, 18, 2) tradit. Quae omnia reputanti non satis recte Droysenius compluribus locis (ut 2, 2, 227; 3, 1, 254) de ampla libertate, qua urbes sub Antigono usae sint, locutus esse mihi videtur.

Sed paulo post (anno 302) sub alius imperium Teii venerunt; nam cum Lysimachus, rex Thraciae, Antigono bellum intulisset, Prepelaus, legatus ejus, ad Aeolidem et Joniam occupandam praemissus praeter alias civitates etiam Teios in suas partes traxit [7]). Lysimachus autem quam imperiose in urbes se gesserit, satis est notum (Droysen 2, 2, 227). Viginti fere annis post (a. 281) Lysimachi regnum a Seleuco I. Nicatore, Syriae rege, expugnatum est (Memnon apud Phot. Bibl. 224; cf. Polyb. 18, 34; Liv. 33, 40), ut inde ab eo tempore Teos quoque sub Seleucidarum fuerit potestate.

Seleucidae quoque Graecarum urbium libertatem primo quam maxime cohibere studuerunt (Droys. 3, 1, 254, 5), quod ad minores civitates maxime pertinuisse consentaneum est. Et de nostra quidem urbe hoc confirmatur titulo Leb. 87 sub Antiocho I. Sotere exarato, quo Bargylietae Teiorum populum collaudant, quod Tyronem quendam ad lites dijudicandas sibi miserit. Cujus imprimis his verbis, quae initio tituli leguntur: *καθότι ὁ βασιλεὺς ἐκέλευεν, βουλόμενος ὁ δῆμος ὁ Τηίων τῷ τε βασιλεῖ πείθεσθαι κτλ.* indicatur, quantopere regis arbitrio urbes subjectae fuerint. Accedit Teiorum titulus C. J. Gr. 3075, qui nomina ejusdem Antiochi et uxoris Stratonicae exhibet, sed tam mutilus est, ut de argumento nil possit conici: id apparet domum regiam magna auctoritate Tei fuisse. Cir-

7) Diod. 20, 107. *μετὰ δὲ ταῦτα Τηίους μὲν καὶ Κολοφωνίους προςηγάγετο.*

citer annum 250 demum Antiochus II. Theos Jonibus libertatem donavit, id quod Josephus[8]) memoriae prodidit.

Sed ne Seleucidarum quidem Teos diu fuit, verum aliquanto post sub Attalidarum venit potestatem. Attalus I. enim, Pergami rex, cum Antiochum Hieracem in Lydia vicisset (Euseb. 1, p. 253 Sch.), omnes terras cis Taurum sitas anno 225 expugnavit (Polyb. 4, 48)[9]). Et quamquam Achäus, Asiae minoris praefectus, omnes illas terras anno 222 occupavit ibique proprium regnum condidit (Pol. l. l.), tamen Attalus anno 218 illas recuperavit. De hac posteriore Attali expeditione Polybius plura tradidit, quorum quae ad nostram quaestionem pertinent, infra afferam[10]). Ex his comperimus primum Teios semper ei, qui opibus pollebat, se adjunxisse, Attalo, Achaeo, iterum Attalo, deinde rationem, quae inter Attalum et urbes indercedebat, positam esse in pactis (*συνθήκαις*) cuicuimodi, quibus libertatem confirmatam esse valde verisimile est, postremo Attalum, ut civitates firmius sibi devinciret, obsides cepisse, quod prius eum non fecisse est probabile. Jam vero sub Attali I. regno eoque favente Teos valde effloruisse mihi videtur, siquidem ille artium litterarumque amantissimus rex etiam artifices Dionysiacos Tei jam dudum habitantes adjuvit itaque effecit, ut urbs ad opulentiam non parvam gloriamque perveniret.

In breve autem tempus Teos sub veterem Seleucidarum potestatem redacta est. Etenim jam anno 198, Attalo I. etiamtum regnante, legati ejus Romanis „vereri dixerunt, ne id prae-

8) Ant. 12, 3, 2. *δεομένων (τῶν Ἰώνων) τοῦ Ἀγρίππα, ἵνα τῆς πολιτείας, ἣν αὐτοῖς ἔδωκεν Ἀντίοχος ὁ Σελεύκου υἱωνὸς, ὁ παρὰ τοῖς Ἕλλησι Θεὸς λεγόμενος, μόνοι μετέχωσιν* (i. e. non Judaei) cf. Droys. 3, 1, 330—332. 348.

9) his de rebus v. Droys. 3, 2, 16—20.

10) 5, 77. *κατὰ δὲ τὸν καιρὸν — Ἄτταλος-ἐπεπορεύετο τὰς κατὰ τὴν Αἰολίδα πόλεις καὶ τὰς συνεχεῖς ταύταις, ὅσαι πρότερον Ἀχαιῷ προσεκεχωρείκεισαν διὰ τὸν φόβον· ὧν αἱ μὲν πλείους ἐθελοντὴν αὐτῷ προσέθεντο καὶ μετὰ χάριτος, ὀλίγαι δέ τινες βίας προσεδεήθησάν. — ἧκον δὲ καὶ παρὰ Τηίων καὶ Κολοφωνίων πρέσβεις ἐγχειρίζοντες σφᾶς αὐτοὺς καὶ τὰς πόλεις. προσδεξάμενος δὲ καὶ τούτους ἐπὶ ταῖς συνθήκαις αἷς καὶ τὸ πρότερον καὶ λαβὼν ὁμήρους κτλ.*

stare ei (Attalo) per Antiochum regem ultra non liceret; vacuum namque praesidiis navalibus terrestribusque regnum Attali Antiochum invasisse" (Liv. 32, 8). Atque duobus annis post etiam nonnullas urbes imperio suo Antiochus adjunxit[11]). Et Teum quidem ei subjectam fuisse non tam inde apparet, quod Agesander, Antiochi in Creta legatus, pro Teiis loquitur juris asyli confirmandi causa eodem missis (Leb. 63. 68. 71), quam ex eo, quod Menippus, regis apud Romanus legatus, simul Teiorum de eadem re mandatum exsequitur (C. J. Gr. 3045).

Antiocho enim regnante anno 193 Teiorum jus asyli in Bacchi cultu positum a permultis et urbibus et populis est confirmatum, de quo cum infra paulo uberius disserendum sit, hoc loco pauca, quae ad id, quod nunc agimus, pertinent, delibasse satis habeo. Et Romani quidem, quibuscum Teiis tunc primum negotium fuisse crediderim, rationibus suis plane convenienter Teiis petentibus senatusconsulto (C. J. Gr. 3045) satisfecerunt; nam semper hujusmodi levia privilegia, quae nullum periculum sibi afferrent, libenter confirmabant. Quin etiam *ἀφορολόγητον ἀπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων* urbem esse concesserunt; etsi haec inania fuisse verba ex eo potest intellegi, quod illo tempore sub Antiochi potestate Teii erant et eodem modo Athamanes Teum *ἀφορολόγητον* esse concedunt (Leb. 83). Idem, quod Romani, sensit Antiochus, qui per legatum suum Teios asyliam a Cretensibus petentes adjuvit (cf. supra) et haud dubie ipse quoque privilegia confirmaverat, cum aliis in rebus libertatem urbium valde cohibuisse videatur (cf. n. 11) Denique quod Philippus, Macedonum rex, item per legatum suum Perdiccam in Creta commorantem Teios commendavit,[12]) ex hoc nihil apparere mihi videtur nisi Philippum, quem regnum Asiae

---

11) Liv. 33, 38. Eodem anno (196) Antiochus rex, cum hibernasset Ephesi, omnes Asiae civitates in antiquam imperii formulam redigere est conatus, et ceteras quidem, aut quia locis planis positae erant, aut quia parum moenibus armisque ac juventuti fidebant, haud difficulter videbat jugum accepturas: Zmyrna et Lampsacus libertatem usurpabant etc. Similiter Appian. Syr. 1.

12) Leb. 65—67. 70—74. Perdiccas erat Teius civis (66. 70—72), videlicet *δημοποίητος*, quia, opinor, jam prius Teiis benefecerat.

appetiisse satis est notum. Graecas urbes sibi conciliare studuisse.

Atque hic liceat mihi Droysenii (3, 1, 446/7; 3, 2, 72) adversari sententiae, qui e titulo C. I. Gr. 3046, quo ab Aetolis asylia Teiis conceditur, concludit Teios foederis Aetolici fuisse socios, propterea quod contra Aetolorum rapinas nullum fuerit praesidium nisi foederis Aetolici ipsa societas. At vero cur non Aetoli quoque, sicut Cretenses et aliae civitates, Bacchum venerati ejus cultores securitate donaverint, non video, praesertim cum in illo titulo de foedere prorsus nil ne tecte quidem dicatur ac potius verba proxime accedant ad reliqua, quibus jus asyli confirmatur, decreta. Quid quod in extrema tituli parte[13]) actio, quae intendenda erit, siquis Teios violaverit, eadem Teiis conceditur, quae Dionysiacis artificibus lege decreta erat? An hi quoque foederis Aetolici fuerunt socii? Quae cum ita sint, Droysenii sententiae assentiri non possumus. Paulo rectius quam Droysenius dicit Kuhnius (Mus. Rhen. 1860, 27 = Entst. der Städte der Alten p. 120): „die Teier dürften dagegen blos als befreundet und verbündet mit den Aitolern, so dass äusserlich ihre Selbständigkeit blieb, zu betrachten sein."

Paulo post jus asyli Teiis confirmatum bello inter Romanos et Antiochum exorto Teii, quamquam Romani privilegia eorum modo confirmaverant, tamen, quandoquidem Antiocho subjecti erant, ab hujus steterunt partibus, anno autem 190, ut Romanis sese adjungerent, coacti sunt. De quibus rebus quae Livius[14]) narrat, aptissimum censeo integra repetere. „Simul allatum est (praetori Aemilio) Teios regiae classi commeatus benigne praebuisse, quinque milia vasorum vini pollicitos esse. Teum ex medio cursu classem repente avertit, aut volentibus iis usurus commeatu parato hostibus aut ipsos pro hostibus habiturus. — Teum postero die accessere, et in portu, qui ab tergo urbis est — Geraesticum ipsi appellant —, navi-

---

13) *γινομένας τοῖς Τηίοις τᾶς ἐγδικάσιος καὶ τᾶς λοιπᾶς οἰκονομίας, καθὼς καὶ τοῖς Διονυσιάκοῖς τεχνίταις ὁ νόμος τῶν Αἰτωλῶν κελεύει.*

14) 37, 27—28.

bus constitutis praetor ad depopulandum circa urbem agrum emisit milites. c. 28. Teii, cum in oculis populatio esset, oratores cum infulis et velamentis ad Romanum miserunt. Quibus purgantibus civitatem omnis facti dictique hostilis adversus Romanos, et juvisse eos omni commeatu classem hostium arguit, et quantum vini Polyxenidae promisissent; quae si eadem classi Romanae darent, revocaturum se a populatione militem, si minus, pro hostibus eos habiturum. Hoc tam triste responsum cum rettulissent legati, vocatur in contionem a magistratibus populus, ut quid agerent consultarent. — Quod non vanum ei consilium fuisset, ni, cum Teii facturos se imperata promisissent, ad accipiendos commeatus aptius visum esset Romanis in eum portum, qui ante urbem est, classem transire". Qua narratione simul, quod supra diximus, confirmatur Teios illis temporibus non parvis floruisse opibus, siquidem duabus magnis classibus largos commeatus potuerunt praebere.

Sed nunc videndum est, quam condicionem pace anni 189 Teos acceperit; nam dubitari potest, num immunis facta an Eumeni, Pergamenorum regi, qui omnes fere cis Taurum sitas terras accepit, data sit. Polybius enim eoque usus Livius[15]) tradunt, quae urbes Antiocho stipendiariae fuerint, sed a Romanorum partibus steterint, eas immunes factas esse, quae vero Antiochi partium aut Attalo stipendiariae fuerint, eas Eumeni stipendiarias esse datas. Quae si accurate sequeremur, immunitas Teiis concessa nobis esset statuenda, quia haud dubie, si non semper, at certe postea, pugnae Magnesiacae tempore, cum Romanis senserunt, quod ipsum tempus a Romanis intellectum esse Livius (37, 56, 2) auctor est. Verumtamen Eumeni subjectos Teios esse cum propter ambiguam in Romanos fidem per se verisimile sit[16]), tum iis, quae jam dicturus sum, clare demonstratur.

Reges enim Pergameni, Eumenes II. et Attalus II., quo erant artium amore, Dionysiacos artifices Tei habitantes tantopere adjuverunt, ut ad pulcherrimum florem summamque glo-

15) Pol. 22, 27; Liv. 38, 39.

16) Idem sentit Kuhn städt. Verf. d. röm. R. 2, 136.

riam Teum tollerent. Quanto autem studio illis faverint, imprimis ex horum ipsorum decretis (C. J. Gr. 3067—3070) licet cognoscere. Hic sufficiat enumerare, quot quantisque honoribus a Teiis sint affecti, unde plane perspici potest, quanta beneficia in hos contulerint, simulque elucet Teios iis fuisse subjectos.

Primum igitur Eumeni dies festus erat dedicatus, quo pompa et spectacula fiebant[17]); ludi in Attali honorem instituti Leb. 93 inveniuntur. Insignis vero est titulus Leb. 88, quo a Teiorum populo Apollonidi, matri Eumenis II. et Attali II., quae Teum quondam adierat, is dies, quo urbem intraverat, dedicatur singulaeque caerimoniae decernuntur; praeterea eo loco, ubi e navi escenderat, templum aedificari juxtaque id ludi celebrari jubentur (siquidem Waddingtonii supplementa recta sunt); nominatur autem *θεὰ Ἀπολλωνὶς Εὐσεβὴς Ἀποβατηρία* (i. e. quae de navi in terram descendit); denique commemorantur duo sacerdotes, qui jam prius exstitisse videntur, alter regis Eumenis[18]) et Apollonidis, altera item Apollonidis et reginae Stratonicae[19]). Ceterum vel ex eo, quod Apollonis Teum adiit, plane videmus, quanta in gratia urbs apud reges fuerit. Deinde Boeckhius recte suspicari mihi videtur interdum infantibus regum nomina data esse, ut C. J. Gr. 3087 Eumenes, Eumenis filius, invenitur[20]), cui addere velim Attalum

---

17) C. J. Gr. 3068 A, ubi ab artificibus decernitur, ut corona in theatro renuntietur *ἐν τῇ βασιλέως Εὐμένου ἡμέρᾳ, ὅταν ἥ τε πομπὴ διέλθῃ καὶ αἱ στεφανώσεις συντελῶνται*, quem diem solos artifices celebrasse mihi probabile non est. Spectacula eo die acta esse inde apparet, quod in theatro coronatio fit. Cur vero Boeckhius (ad 3067) illam pompam Pergamo Teum advenisse suspicetur, non intellego.

18) haud dubie enim *τὸν ἱερέα (βασιλέως Εὐμέν)ους* neque cum Waddingtonio *(Ἀττάλου Εὐσεβ)οῦς* supplendum est.

19) Hirschfeldius p. 26, n. 22 hanc Stratonicam per errorem ad domum Seleucidarum refert.

20) Lapidis apographum praebet *(Εὐμ)ένους ιου Εὐμένους*, quod Boeckhius in *τοῦ* mutavit. Quodsi Roehlius (Beiträge zur griech. Ep. p. 9) recte retinuit *Ἰου* i. e. *Ἰουλίου*, haud scio an usque in imperatorum tempora regum Pergamenorum memoria sit propagata. Sed Boeckhii conjectura multo mihi rectior videtur. — Nec vero Attalianum tituli Leb. 106 imperatoriae aetatis huc referendum esse arbitror.

tituli 3088. Denique compluribus in titulis εὐεργέται sine nominibus commemorantur, quos Boeckhium recte reges Pergamenos intellexisse puto, primum in fragmento legis agonisticae maxime mutilo (C. J. Gr. 3061), qua ludos in eorum honorem institutos esse ille censet, tum in symmoriae Echinadarum duobus decretis (3065. 3066), e quibus symmorias[21]) quoque εὐεργέταις sacra fecisse comperimus. Sed titulum 3062 quod. propter verba τὰς vel τῆς ἀπ' αὐτῶν εὐεργεσίας (v. 6) ad Attalidas Boeckhius refert, id hodie refutatur Lebasii accuratiore apographo (n. 90), ex quo Pio cuidam diem festum dedicatum esse apparet.[22])

Nec vero soli Pergami reges, sed etiam Seleucidae illis temporibus, quamquam de Asiae minoris imperio erant dejecti, Teiis, in quorum urbe artes tantopere florerent, favisse videntur, ut Hirschfeldius (p. 26, n. 22) concludit e titulo quodam ab ipso publicato, in quo multorum Seleucidarum, in his Antiochi Epiphanis, nomina sunt perscripta.

Gravi autem calamitate Attalo II. vel. III. regnante Teos afflicta est, cum artifices Dionysiaci seditione exorta Ephesum confugere cogerentur. Sed ad hanc rem infra erit redeundum.

§ 6. Teos sub Romanorum potestate.

Anno 133 regnum Pergamenum per Attali III. testamentum Romanis obvenit, ut inde ab eo tempore Teii quoque illis subjecti fuerint. Jam cum anno 189 urbem non immunem, sed Eumeni stipendiariam datam esse supra viderimus, ne tum quidem, cum sub Romanorum potestatem venit, immunem eam factam esse ullo modo verisimile est. Posterioribus autem temporibus immunitatem Teiis datam esse nulla re potest demonstrari. Quare Marquardtius (röm. Staatsverw. 1, 189, n. 19) non recte pro immuni urbe Teum habere mihi videtur. Nam quo argumento is usus est, quod in illo senatusconsulto anni 193 (C. J. Gr. 3045) decernatur, ut urbs ἀφορολόγητος sit, id

21) de quibus vide infra.

22) Eundem titulum restituit Roehlius (p. 26), Barthii malo, ut mihi videtur, apographo (Mus. Rhen. 7, 260) usus.

minime idoneum esse jam supra demonstravimus. Quin etiam num libera urbs Teos fuerit, potest dubitari, quamquam equidem crediderim postea sive a Sulla sive a Pompejo sive ab alioquo libertatem Teiis esse donatam.[1])

Teum ne sub Romanorum quidem imperio exiguam et ignobilem fuisse primum amplis parietinis et numero titulorum nummorumque ex imperatoria potissimum aetate servatorum demonstratur, deinde haud scio an ex Aeliani loco (N. A. 7, 29) liceat colligere, ubi de mercatore Colophonio agitur mercium emendarum causa Teum proficiscente. Opulentia autem Teiorum ejusdem temporis vel Pausaniae testimonio demonstratur, qui balnea commemorat *τὰ μὲν ἐπὶ τῷ κλύδωνι ἐν πέτρας χηραμῷ, τὰ δὲ καὶ ἐς ἐπίδειξιν πλούτου πεποιημένα.*[2]) Addo obiter Augusti tempore terrae motu Teum afflictam esse videri.[3])

Jam cum de historia Tei sub Romanis fere nil compertum habeamus, liceat mihi pauca de ratione, quae intercedebat inter Teios et imperatores Romanos, enumerare. Atque Augustum quidem bene de urbe meritum esse et inde cognosci potest, quod in compluribus nummis *Σεβαστὸς κτίστης* (i. e. novus quasi conditor urbis) inscriptum est,[4]) et inde, quod templum ei a Teiis exstructum esse alio nummo declaratur (Sestini p. 360). Deinde Neroni templum Tei aedificatum esse e nummo, quem descripsit Liebius (Gotha numaria p. 454), concludi

1) Appian. Mithr. 61. *αὐτὴν δὲ τὴν Ἀσίαν καθιστάμενος* (*ὁ Σύλλας*) *Ἰλιέας μὲν καὶ Χίους καὶ Λυκίους καὶ Ῥοδίους καὶ Μαγνησίαν καί τινας ἄλλους — ἐλευθέρους ἠφίει καὶ Ῥωμαίων ἀνέγραφε φίλους.* Cass. Dio 37, 20. *τά τε πλείω ἔθνη τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ τῇ ἠπείρῳ τότε αὐτοῖς ὄντων* (*ὁ Πομπήιος*) *νόμοις τε ἰδίοις καὶ πολιτείαις κατεστήσατο καὶ διεκόσμησεν, ὥστε καὶ δεῦρο αὐτοὺς τοῖς ὑπ' ἐκείνου νομισθεῖσι χρῆσθαι.*

2) Paus. 7, 5, 11. cf. de balneis Teiorum C. J. Gr. 3080 cum Boeckhii ann. et Hirschfeldium p. 26.

3) C. J. Gr. 3080, ubi *ὁ Σεβαστὸς* a Chandlero et Boeckhio recte Augustus intellectus est. Sed Tiberii in versu primo mentio hodie Lebasii apographo (n. 107) est sublata. Notissimo autem illo anni 17 p. Chr. terrae motu (Tac. Ann. 2, 47), quo de illi cogitant, Teos non afflicta esse videtur, et quod Tacitus eam non nominat, et quod omnes eae urbes, quas affert, in certa quadam regione circa Hermum flumen sitae erant, Teos non item.

4) Mionn. 3, p. 261/2. cf. Lampros de condit. colon. Gr. p. 58.

potest, quamquam Liebius ipse dubitat, templum, in quo caput Neronis est positum, utrum hujus sit an Bacchi. Tum sub Marco Aurelio neocoratus honorem Teios nactos esse compluribus nummis docetur, quorum alteri imperatoris ipsius capite ornati inscriptionem *Τηίων νεωκ* praebent, alteri, quibus inest Faustinae, uxoris ejus, caput, *Τηίων β νε* (Mionn. 3, 263. suppl. 6, 385), quem duplicem neocoratum inde exortum esse verisimile est, quod et Marco Aurelio et Faustinae singula templa a Teiis sunt aedificata; Eckhelius quidem (2, 563) neocoratum priorem propter Augusti templum Teios nactos esse suspicatur. Marci Aurelii autem templum idem esse censuerim, quod in titulo quodam *ναὸς τῶν Σεβαστῶν* vocatur;[5]) etenim cum Marcum Aurelium et Lucium Verum, fratrem adoptivum, octo annos (161—169) una principatum obtinuisse notum sit, iis unum templum exstructum esse veri non est dissimile. Praeterea non solum titulus Leb. 98, cujus servata sunt verba *(Ἀν)τωνεῖνο(ν τὸ)ν εὐεργέτ(ην)*, ad Marcum Aurelium referendus mihi videtur, sed etiam fragmentum Leb. 100, ubi *Σεβαστοὶ* commemorantur, ad hos fratres pertinere crediderim. Etsi certi nil de his affirmari posse consentaneum est. Denique in titulo C. J. Gr. 3082 *πενταετηρικοὶ ἀγῶνες Διονυσιακοὶ Καισάρηοι* reperiuntur, qui cujus in honorem sint instituti, dicere non possumus.

Ceterum ultra Gallienum imperatorem, qui annis 260—268 regnavit, nummi Teii, quantum scio, nobis non sunt servati; multo autem diutius urbem exstitisse cum per se verisimile sit, tum insuper duobus testimoniis demonstratur, tabula Peutingeriana et Hieroclis Synecdemo,[6]) qui in saeculum incidit sextum. Quando vero perierit urbs, nobis est ignotum.

Cap. II. De rebus Teiorum publicis.

§ 7. De populi urbisque divisione sive de pyrgis, symmoriis, tribubus.

De rebus publicis Teiorum disputaturus aptissimum censeo primum de populi divisione, in qua omnis respublica quasi

5) C. J. Gr. 3108. poenae sepulcrales ei dicantur.

6) p. 660 Wessel., qui urbem *Τίον* nominat.

posita sit, ea proferre, quae e nonnullis titulis licet cognoscere. Est autem illa singularis quaedam neque ullo simili exemplo alicunde petito in ea explicanda adjuvamur. Sed ut statim medias in res ingrediar, insignis quaedam inscriptio et praeter ceteras memorabilis nobis servata est (C. J. Gr. 3064), catalogum archontum annuorum continens, qui duplici modo designantur, primum *πύργῳ* sive turri de homine vel heroe denominata, deinde cognomine semper fere patronymico, velut: *Ἀρτέμων, τοῦ Φιλαίου πύργου, Φιλαΐδης* vel *Θαρσύνων, ἐκ τοῦ Ἱέρωνος πύργου, Ζωριάδης.* Praeterea in titulo 3081 quidam *τοῦ Φιλαίου πύργου* reperitur et in alio (bull. de corr. hell. 4, p. 174) quidam *τοῦ Φιλαίου πύργου, Κυδωνίδης.*

Hac in re cum maxime necessarium existimem statuere, quid sit illud *πύργος*, ab hac quaestione incipiam. Et locum aliquem eo vocabulo significari per se ipsum patet nec quisquam de ea re dubitabit; quaeritur autem, qualis locus. Atque omnes viri docti, quos de hac re aut uberius aut obiter egisse scio: imprimis Boeckhius in explicatione illius tituli, praeterea autem Grotius (hist. of. Greece 3, p. 250 sqq. = 2, 146 Meissn.), Schoemannus (Ant. Gr. 1, 140), Vischerus (Mus. Rhen. 1867, p. 324 = kl. Schr. 2, 153), Philippius (Beitr. z. Gesch. d. att. Bürgerr. p. 9, n. 10 et p. 10, n. 13), Hirschfeldius (p. 27) —, ii omnes turres Teias eandem habuisse vim quam demos Atticos aut disertis verbis declarant aut tecte significant. Quam sententiam tot tamque doctorum virorum semel iterumque animo volutans cum mihi persuaserim veram eam esse non posse, primum paulo accuratius exponam, quas ob res credam turres Teias demis Atticis respondere non posse, deinde quid ipse hac de re sentiam explicabo.

Ac primum quidem videamus, quomodo Athenae et Attica civitas et quomodo Teos sit exorta; inveniemus plane diversam esse utriusque urbis originem et condicionem. In Attica enim jam antiquissimis temporibus illi demi qui vocantur sive pagi exstabant neque ullo alio modo homines habitabant nisi in demis, quorum nonnulli propter opportunitatem locorum mox oppida evaserunt. Ipsa autem Athenarum urbs — nam haec summa est rei — cum e compluribus ejusmodi demis coaluerit,

quorum nomina afferre supersedeo, tum imprimis Thesei *συνοικισμῷ* ex omnibus demis homines multi Athenas, in totius terrae caput, confluxerunt, cum fundos in suo quisque demo haberet. Teos autem omnesque illae Jonum coloniae, cum primum conditae sunt, urbes sive majores sive minores moenibus cinctae exstiterunt, et Teos quidem e Carum sive Lelegum oppido in Graecam coloniam, ut supra dixi, est mutata; demi in tali condicione erant omnino nulli. Cf. etiam Curtium 1, 224/5.

At vero, dixerit quispiam, num Teiis nulli erant agri? Sane, libenter id concedo, quod et per se pateat et permultis testimoniis possit demonstrari. Etenim *γῆ ἡ Τηΐη* vel simile quid in antiquissimo Teiorum titulo (C. J. Gr. 3044) identidem, semel *ἄρουρα* invenitur, *ἡ πόλις καί ἡ χώρα ἡ Τηίων* saepissime in asyli decretis (C. J. Gr. 3045—3058; Leb. 60—85) nec non in titulo Leb. 88, *ἡ ἀγροικία* Leb. 86, v. 100, denique „circa urbem ager" apud Livium (37, 27 extr.), quibus addere liceat *νῆσον* tituli 3044, v. 14/5, de qua vide Hirschfeldium p. 26. Sed hic Teiorum ager non erat amplus nec late patebat, sed brevem [1]) et angustam oram utroque sitam obtinebat. Neque omnino illae Jonum coloniae agris colendis erant deditae, sed opificio, mercatura, navigatione florebant et tantopere his rebus operam dabant, ut ipsos agros interdum neglegerent, ut Milesii (Her. 5, 29). Quam plane diversa Atticae erat condicio, ubi antiquissimis temporibus in agricultura omnis fortuna omnisque fere respublica fuerit posita; etsi posteriore quidem aetate Athenis quoque navigationem et mercaturam effloruisse longe abest, ut reticeam.

Sed dixerit quis, quamvis parvi agri fuerint et quantumvis neglecti, num fieri non potuit, ut in quosdam pagos ii dividerentur? Potuit sane; sed num probabile videbitur opulen-

1) Tota Jonica ora, in qua decem urbes sitae erant, non amplius septuaginta milia passuum (14 Meilen) in longitudinem pertinebat. Quod Livius 37, 12 Corycum Teiorum promunturium vocat (neque enim cum Weissenbornio „Pelorum," quod codices praebent, delendum censeo), parum accurate dictum videtur, cum Thuc. 8, 33 de *Κωρύκῳ τῆς Ἐρυθραίας* loquatur. Quare ne ad Corycum quidem Teiorum fines pertinuisse credo contra Hirschfeldium p. 26.

tos et divites illos *ἐμπόρους* et *ναυκλήρους*, quorum multi haud dubie agris carebant, ab illis pagis exclusos esse? An etiam urbani pagi fuerunt? Hoc vero minime posset accipi, quoniam Teos non e compluribus vicis coaluit; ac si forte urbem ipsam in quasdam regiones divisam esse existimemus, ejusmodi partes non erant pagi. Omnino autem, istam sententiam si sequimur, quae ratio inter pagos et urbem ipsam intercesserit, definire non possumus.

Sed concedo ea argumenta, quae hactenus attuli, non satis firma ac certa posse videri, quamquam ego quidem vim probandi non parvam in iis inesse credo. Nunc vero ad ipsos pyrgos aggrediamur. Ac primum libenter concedimus in Teiorum finibus vicos fuisse sitos, quod et per se patet et Antigoni litteris (Leb. 86, v. 98/9) insuper confirmatur, ubi *κῶμαι* et *ἐπαύλια ἔξω τῶν τῆς πόλεως ὅρων* memorantur. Habitaverint autem in illis *κώμαις* non solum indigenae Cares sive Leleges, quorum vicos a Graecis fines augentibus occupatos esse consentaneum est, sed etiam ipsorum Graecorum nonnulli, qui agri colendi causa eo migraverint. Jam illi viri docti, si pyrgos eodem loco habent, quo demos Atticos, eas quas modo dixi *κώμας* vel partem earum pyrgos intellegant necesse est (quod si non facerent, etiam minus probabilior fieret eorum sententia). Atqui *πύργοι*, sive sunt turres sive loca ab hominibus habitata, cogitari non possunt nisi muniti, quae res cum *κώμαις* conjungi vix potest. Ceterum quod illa loca in Antigoni litteris *κῶμαι*, non *πύργοι* vocantur, inde pro mea sententia nihil potest concludi.

Sed hic dixerit quis duobus Strabonis locis[2]) nisus habitasse prioribus temporibus Leleges in *ἐρύμασιν*, i. e. munitis locis atque hos esse illos ipsos pyrgos. Straboni quidem et ipse credo, sed primum e voce, quae est *ἔρημα*, satis apparet, quod ipsa etiam re probatur, haec castella, in quibus incolarum opes haud dubie positae essent, a Graecis colonis esse deleta,

2) 7, 321. *πολλαχοῦ δὲ τῆς Καρίας τάφους Λελέγων καὶ ἐρύματα ἔρημα, Λελέγια καλούμενα.* 13, 611. *ἐν ὅλῃ δὲ Καρίᾳ καὶ ἐν Μιλήτῳ Λελέγων τάφοι καὶ ἐρύματα καὶ ἴχνη κατοικιῶν δείκνυται.*

deinde autem, etiamsi retenta essent aut saltem Graecorum agri secundum ea essent divisi, quomodo ii pyrgi, qui de hominibus haud dubie Graecis nominati sunt, possint explicari, non intellego, praesertim cum hujusmodi pyrgi longe sint plurimi. An et ipsi Graeci Leleges imitati tales pyrgos exstruxerint suorumque heroum nomina iis indiderint? An veterum pyrgorum nomina eos mutasse ullo modo potest credi?

Omnino autem ista pyrgorum denominatio, quae est *ὁ Φιλαίου πύργος*, de castello quodam sive vico munito mira esset et absurda. Nam quod inter Atticos demos non pauci reperiuntur de gentibus nominati, ut *Βουτάδαι*, *Κοθωκίδαι*, plane est diversum.

Denique, id quod maxime fere me movet, ubi illi tam multi pyrgi siti fuerint, percipere non possum. Nam servata sunt nobis non minus 27 pyrgorum nomina, praetereaque in illo titulo, quem supra attuli, nonnulla interciderunt, quae diversa fuisse valde est verisimile, quoniam ne in servatis quidem eadem bis reperiuntur. An vero credibile est 27 minimum *πύργους*, sive *κῶμαι* munitae sive castella ea fuerunt, in tantulis finibus confertos fuisse? Qualem ejusmodi regionis speciem fuisse credamus?

Quibus omnibus de causis Boeckhio reliquisque viris doctis pyrgos Teios demis Atticis aequantibus assentiri non possum; sed quid ipse de hac re sentiam, jam explicabo. Atque equidem existimo, id quod solum fere restat, illos *πύργους* nil aliud fuisse nisi urbis ipsius partes quasdam regionesve ad singulas moenium turres pertinentes, unde et ipsae turres sint vocatae. Turres autem in muro urbem cingente fuisse cum per se pateat, tum titulo quodam[3]) insuper confirmatur, quem titulum adeo adhibuerim ad nostram sententiam fulciendam. Illa enim verba *τὸ προςεχὲς αὐτῷ τεῖχος* ita accipienda videntur, ut murus non in alterutram partem sive ab altera turri ad alteram, sed potius in utramque partem pertinens intelle-

3) Leb. 1557. *(ἐπιστα)τούντων Θεογείτονος κτλ. ἐπῳκοδομήθησαν τούτου μὲν τοῦ πύργου καὶ τοῦ (προ)ςεχέος αὐτῷ τείχους δόμοι ἕξ, (τοῦ) δὲ ἐχομένου πύργου δόμοι ἕ(ξ) καὶ (το)ῦ προςεχέος αὐτῷ τείχους δόμοι (τέ)σσαρες καὶ προμαχῶνες τέσαρες κτλ.* ubi *δόμοι* ordines sunt laterum.

gatur; videtur igitur ad unamquamque turrim certa moenium pars pertinuisse. Quae si ita sunt, nostra ratio haud scio an aliquantum confirmetur. Quod vero turres de hominibus vel heroibus sunt nominatae, aliis exemplis minime caret; nam in titulo Olbiensi (C. J. Gr. 2058 B, v. 44 sqq. v. 57 sqq.) complures turres murales de hominibus vel heroibus denominatae reperuntur, *ὁ Καθηγήτορος*[4]), *ὁ Ἐπιδαυρίου*, *ὁ Πόσιος πύργος*. Hoc jam Grotius animadvertit; sed quod praeterea ille monet Aglomachi cujusdam in urbe Cyrena turrem ab Herodoto[5]) memorari, ejus rei alia mihi videtur esse ratio, quia cum Baehrio „aedes privatas turris in modum exstructas et munitas" intellegendas esse multo est probabilius. Denique commemorare mihi liceat in Triphylia Minyarum urbem sitam fuisse, cui erat nomen *Πύργοι* (Strab. 8, 348; Steph. Byz. s. v.) sive *Πύργος* (Her. 4, 148; Polyb. 4, 77; Liv. 27, 32) (cf. Müller Orchom. 354. 367), unde fortasse potest concludi apud Minyas turribus vim quandam peculiarem fuisse; Minyas autem Tei habitasse atque adeo primos Teum condidisse supra narravimus. Nec vero huic argumento multum tribuerim, quoniam etiam aliarum gentium urbes *Πύργοι* nominatae reperiuntur.

Sed antequam plura de pyrgis Teiis loquar, necessarium mihi videtur de altero eoque patronymico plerumque cognomine, quod in catalogo archontum reperitur[6]), pauca disserere. Atque hac in re Boeckhio, qui gentilicia collegia, gentibus Atticis similia, eo significari censet, plane assentior, quia, quo alio modo id explicari possit, non video. Ac ne in eo quidem dissentio, quod ista collegia eadem esse dicit ac symmorias, quod idem sentiunt Schoemannus et Philippius. Etenim praeter titulum *τὴν Ἀλτύλου συμμορίαν* praebentem (bull. de corr. hell. 4, p. 175) duo habemus lapidibus servata decreta *τοῦ κοι-*

4) Neque enim cum Boeckhio *ὁ καθ' Ἡγήτορος* scil. *οἰκίαν* aut *ναὸν* scribendum esse censeo. cf. de turribus Olbiensibus Dion. Chrys. 36, p. 76/7 R.

5) 4, 164. *ἑτέρους δέ τινας τῶν Κυρηναίων ἐς πύργον μέγαν Ἀγλωμάχου καταφυγόντας ἰδιωτικὸν ὕλην περινήσας ὁ Ἀρκεσίλεως ἐνέπρησε.*

6) cf. *Πολλιδῶν καὶ Θαινιαδῶν* bull. de corr. hell. 4, p. 168. *Πολλίδης* etiam C. J. Gr. 3064, 20 reperitur.

τοῦ τῆς Ἐχίνου συμμορίας, quibus προστάται hujus coronari jubentur (C. J. Gr. 3065. 3066). Atqui cum sodales ejus symmoriae Ἐχινάδαι nominentur (3066, v. 29), veri est simillimum Echini symmoriam esse gentem de heroe eponymo Echino denominatam ideoque symmorias Teias gentibus Atticis respondere. Qua cum sententia optime congruunt, quae de natura illarum symmoriarum e titulis licet cognoscere. Nam sacris potissimum rebus eas operam dedisse primum inde apparet, quod illi προστάται propterea laudantur, quod τὰς νομιζομένας πατρίους θυσίας συνετέλεσαν τοῖς θεοῖς καὶ τοῖς εὐεργέταις καλῶς καὶ ἐπιφανῶς (3065, 17—19), deinde ex eo, quod quotannis Leucatheis (3066, 25) festas epulas cum libationibus conjunctas (ὑποδοχὴ et σπονδαὶ 3065, 29. 19. 3066, 15. 26) Echinadae celebrant, denique ex eo, quod ara symmoriae Echini commemoratur (3065, 32. 3066, 32) et quod Pollidis et Thaeniadis fanum Apollinis ascribitur (bull. l. l.). Gentibus vero veterum praeter civilia officia praecipue sacras res curae fuisse nemo nescit. Quare quamquam concedo eas res, quas modo enumeravi, etiam ad orgeonum, thiasotarum, similia collegia quadrare, tamen apparet non minus eas congruere cum gentium notione. Ut nil omittam, moneo symmoriam Echini quattuor annuos praefectos (προστάτας) habuisse; denique legem, scilicet symmoriae, commemorari in titulo 3066, 8. Ceterum omnium symmoriarum eandem vel similem condicionem fuisse est consentaneum. Minus recte Grotius cum phratriis Atticis symmorias comparare mihi videtur, imprimis quia omnino probabile non est cives de phratriis ac non de gentibus esse denominatos. Quod autem apud Suidam et Photium hanc reperimus glossam: συμμορία σύνταγμα ἢ φρατρία, notandum est φρατρίαν hoc loco, uti saepe, haud dubie nil nisi „collegium" significare. Ceterum de nomine symmoriae recte Boeckhius dicit: „nec mirum συμμορίαν esse tale collegium vocatum: ne Athenis quidem γεννήτας constat vere cognatos (συγγενεῖς) fuisse omnes; quo magis gentis vocabulo potuit aliud substitui, ut hoc συμμορία etc."

Denique etiam in titulo bull. 4, p. 169, ubi octo homines (ultimo nomini addita est vox γραμματεὺς) Πραύχῳ καὶ τῷ δήμῳ

aliquid dedicant, symmoriae cujusdam *προστάται* intellegendi videntur, siquidem ille *Πραῦχος* in numero heroum eponymorum est referendus. Huic igitur symmoriae septem praefecti cum scriba praeerant.

Jam prioribus quidem temporibus Teiorum populum sola gentilicia ratione, i. e. in symmorias quotcunque, divisum fuisse apparet. Postea vero (qua de causa, nescio) tota urbs in pyrgos quoque, i. e. in vicos, est distributa. Jam quod in dimidia fere exemplorum parte nomina pyrgorum et symmoriarum inter se consentiunt, id facillime ita explicatur, ut hi pyrgi statuantur denominati esse de heroibus eponymis earum gentium, quae potissimum in illis habitabant. Gentes autem initio quidem certis quibusdam habitasse locis imprimis propter Atticarum exemplum valde est verisimile[7]). Sed neque omnes gentes pyrgis nomina dederunt neque omnes pyrgi de gentium eponymis sunt nominati, sicut in Atttica similis ratio intercedebat inter demos et gentes. Quare Grotius non recte dicere mihi videtur: „the territory of the town was distributed amongst a certain number of towers, to each of which corresponded a symmory or section of the citizens“ (quamquam alias turres Grotius, alias ego intellego), cui sententiae ipsum titulum repugnare recte monet Vischerus. Id enim tenendum est, cui pyrgo quisque semel ascriptus erat, ei et ipsum et posteros semper ascriptos mansisse, etiamsi in alios pyrgos transmigrarent; id quod ipsum quoque Attico exemplo docetur.

Topographicam divisionem posthac demum gentiliciae additam esse et ipsi Boeckhius (Atticae et Spartae exemplis usus) et Philippius censent, totius terrae scilicet, non solius urbis. Quod vero Vischerus symmorias partes turrium fuisse arbitratur, id jam a Philippio recte refutatum est; nam duo Bryscidae diversis turribus ascribuntur.

Addo quod topographicam divisionem principalem fuisse

---

7) Similiter Boeckhius dicit: „quas gentes cum certis locis habitasse probabile sit, quidni Tei quoque loci ex his collegiis vel eorum auctoribus primitivis nomina habuerint?“ Quamquam Boeckhius alia loca intellegit ac nos.

vel inde apparet, quod pyrgorum nomina symmoriis semper antecedunt.

Quoniam in universum eam, quam sequimur, rationem explicavimus, jam ad singula nonnulla aggrediamur. Ac longe plurimae symmoriae patronymica habebant nomina, quae de auctoribus primitivis derivanda esse luce clarius est (inter quos etiam heroina quaedam Callipe: *τοῦ Καλλίπης πύργου, Καλλιπάδης*). Tribus autem gentibus non sunt patronymica nomina: *Δάδδειοι, Κιζῶνες, Χαλκίδειοι.* Et de *Χαλκιδείοις* cum postea dicendum sit, jam de duobus reliquis pauca verba faciam[8]). Ac Boeckhius quidem has symmorias de locis quibusdam, ubi habitaverint et quorum fuerint nomina *Δάδδος* sive *Δάδδον* et *Κιζών*, appellatas esse censet mirumque vocabulum *Κιζώνων* explicat exemplo ex Attica petito, ubi demus *Πήληξ* eiusque incolae *Πήληκες* reperiantur. Nec vero equidem credo hoc exemplo vocem *Κιζῶνας* (= incolas loci *Κιζῶνος*) satis posse defendi; nam ille demus *Πήληκες* nominabatur (Steph. Byz.; Harpocr.) haud dubie de ipsis incolis, ac sola *τὰ τοπικὰ* minus accurate ita designabantur, ut diceretur *ἐν Πήληκι, ἐς Πήληκα* (St. B.). Contra mirum esset de loco quodam, qui est *Κιζών*, incolas appellatos esse *Κιζῶνας.* Quare verisimillimum mihi est non *Κιζών*, sed *Κιζων(ίδης)* esse scribendum, quod per tituli rationem facere licet[9]), ita ut haec quoque gens de heroe eponymo sit denominata. Atque idem statuerim de gente *Δαδδείων*, quae forma, quamquam non est patronymica, tamen poterit derivari ab archegeta quodam *Δάδδῳ*, propterea quod haec gens haud dubie erat barbara (de Graeca gente idem statuere non liceret). Nam nomen *Δάδδου* Caricum vel Lydicum esse jam Boeckhius recte censuit, quoniam e Graeca lingua non potest explicari; idem sentit Grotius bene comparans Dadam, conditorem Themissi, Cariae urbis (Steph. Byz. s. v. *Θεμισσός*). Ceterum etiam *Κιζῶνος* nomen haud dubie barbarum est, neque

---

8) *Ἀπολλώνιος, ἐκ τοῦ Δάδδου πύργου, Δάδδειος. Οὐλιάδης, τοῦ πύργου τοῦ Κιζῶνος, Κιζών.*

9) nam vox *Κιζών* in fine versus ita exstat, ut compluribus litteris locus detur.

enim recte Benselerus in onomastico *Κιζῶνα* a verbo *ἵζειν* derivat. Quare vel *Κιζών(ειος)* genuina forma fuisse potest. Quae cum ita sint, nullam gentem de loco, ubi habitabat, sed ad unam omnes de eponymis cuicuimodi nominatas esse pro certo habuerim.

Deinde Isthmium pyrgum (*ἐκ τοῦ Ἰσθμίου πύργου*) e loco nominatum esse Boeckhius statuit, utpote qui in isthmo paeninsulae Erythraeae fuerit situs. Sed quamquam partem ejus isthmi Teiorum fuisse satis constat, tamen ejusmodi pyrgum nostrae sententiae non convenire apparet. Ac ne illud quidem, quod quis dixerit hunc pyrgum de illo isthmo, in quo Teos ipsa erat condita, nomen habere, verisimile est, quoniam omnes turres in isthmo sitae erant ideoque intellegi non potest, cur una illa de eo sit denominata. Itaque credo non Isthmium pyrgum, sed Isthmii pyrgum accipiendum esse, id quod vel similitudine omnium reliquarum turrium commendatur; Isthmii autem nomen apud Graecos non inusitatum fuisse Pausaniae testimoniis (4, 3, 8. 4, 3, 10) potest confirmari.

Jam de origine nonnullarum gentium pauca afferre mihi liceat. Ac Philaïdarum symmoriam Philaeique pyrgum ad Athenienses referendum esse pro certo habeo, eodemque spectat *ὁ Ποίκεω πύργος*. Deinde Cothidarum gens Cothique pyrgus ad Chalcidenses et Coprei pyrgus ad Boeotos pertinere videntur.[10])

Sed quod Boeckhius (in addendis) heroem Hecadium (*τοῦ Ἑκαδίου πύργου*) sive Eicadium (si titulum 3089 sequimur) confert cum *Εἰκαδεῖ* et *Εἰκαδεῦσι*, qui in titulo quodam Attico reperiuntur, id non rectum mihi videtur; nam illi *Εἰκαδεῖς*, quorum heros eponymus *Εἰκαδεὺς*, erant sacrum collegium sive thiasus, qui *τῇ εἰκάδι* i. e. vicesimo quoque die mensis ad sollemnia agenda conveniebat, qua de re imprimis videndus est Meierus (praef. ad Ross Demen 5 sq.).

Denique barbara quorundam heroum nomina haud dubie eas gentes Carum vel alius indigenae gentis fuisse significant. Atque huc pertinent praeter *Δάδδον* et *Κιζῶνα* *Κίδυς*, *Σίντυς*, *Ἵερυς*, quas voces jam Grotius Caricas vel Lydicas esse suspi-

---

10) cf. de his omnibus § 1.

catus est; *Κίδυς* cohaerere videtur cum Phrygiae urbe, cujus incolae *Κιδυεσσεῖς* in nummis (Eckhel 3, 146. Mionnet 4, 266/7) reperiuntur. *Κιναβάλου* nomen Phoenicium esse idem Grotius censet, cum Punica nomina Hannibalis et Hasdrubalis comparet; recte quidem, cum Caribus Phoenices admixtos esse satis constet (Curtius 1, 38. 45. Deimling Leleg. 19—21). Praeterea nomina *Βήβωνος, Βρεάλλωνος,* fortasse etiam alia barbarae originis ideoque gentes de iis nominatae ipsae quoque barbarae fuisse videntur.

Ceterum ex iis, quae modo enumeravi, apparet non ita paucos Cares sive Leleges Teiis intermixtos fuisse. Ac ne quis miretur etiam indigenas gentium fuisse participes, moneo alibi quoque, imprimis Sami et Chii, veteres et novos incolas plane coaluisse (Curtius 1, 116. 223). Etsi hoc Tei quidem ad eos solos, qui principio in urbe habitabant, pertinuisse ex iis, quae supra exposui, apparet; cui sententiae quid jure opponi possit, non video.

Adhuc de civibus in urbe ipsa habitantibus egimus. Nec vero Teos sola Graecorum colonia ejus regionis fuit, sed duobus aliis locis Teo vicinis Graeci consederant, qui ipsi quoque quasi Teii fuerunt. Quod nostrae de pyrgis sententiae minime repugnare apertum est.

Alter locus est septentrionalis Teiorum portus Geraïdae, qui, cum triginta stadia a Teo abesset (Strab. 14, 644) urbis ipsius pars fuisse non potest. Jam de ceteris ad § 1, ubi de hoc portu pauca dixi, reiciens, hoc loco repeto eum nomen traxisse de gente Boeotica Geraïdarum, cujus heros eponymus Geres erat. Est autem verisimile vel potius certum Geraïdas quoque fuisse symmoriam Teiam, sed quae non in urbe ipsa habitabat.

Alter locus, qui paulo longius a Teo aberat ad septentriones versus, est vicus *Χαλκιδεῖς,*[11]) cujus singulos incolas et ipsos *Χαλκιδεῖς* vocatos esse et per se patet et titulo[12]) con-

---

11) Strab. 14, 644. cf. § 1. Situs erat ille vicus in meridionali parte ejus isthmi, qui paeninsulam Erythraeam cum continente conjungit.

12) Leb. 91. *Ἀσκληπιάδης Ἡρακλείδου Χαλκιδεύς*; Waddingtonius quidem ab urbe Chalcide nomen derivat.

firmatur. Quos Chalcidenses simul symmoriam effecisse inde apparet, quod in titulo illo 3064 quidam *τοῦ Σθενέλου πύργου, Χαλκίδειος* reperitur. Itaque quatenus symmoriam efficiebant, non *Χαλκιδεῖς*, sed *Χαλκίδειοι* vocabantur. Jam Boeckhius primum censet illum vicum in numero pyrgorum fuisse, id quod nostrae sententiae plane repugnare manifestum est; praeterea autem censet Strabonem parum accurate vicum *Χαλκιδεῖς* appellasse, cum a Teiis ipsis *Χαλκιδεύς*, similiter atque in Attica *Πειραιεύς*, sit vocatus, quod ut suspicetur, adducitur titulo C. J. Gr. 3103, ubi legitur *Διονύσιε Διονυσίου ὁ ἐκ Χαλκιδέως* et a Boeckhio suppletur *πύργου*. At vero primum esset mirum, si vox *πύργου* hic omissa esset, cum alias semper addatur, et in titulo illo 3064 et in reliquis (cf. initium hujus paragraphi). Deinde si titulum 3089 comparamus (*Μηνόδοτος Ἀριστοκράτου ὁ ἐκ Θεοκρίτου*), ubi Aristocratem adoptivum, Theocritum naturalem patrem Boeckhius ipse intellegit, eadem ratio etiam nostro loco haud dubie est ineunda. Chalcidei autem nomen non inusitatum fuisse apud Graecos et Thucydidis libro octavo et Suidae testimonio demonstratur. Quare locum *Χαλκιδέα* omnino nullum fuisse et Strabonem recte *Χαλκιδεῖς* dixisse mihi quidem est persuasum.

Ceterum Boeckhius[13]) recte hos Chalcidenses cum regione Chalcide, quae in vicinis Erythraeorum finibus erat sita,[14]) ita conjungit, ut totam illam oram a Chalcidensibus ab Euboea oriundis habitatam esse eorumque partem ad Erythraeos, partem ad Teios pertinuisse censeat. Parum accurate Kramerus ad Strab. l. l. dicit: „non diversi sunt ὁ *Χαλκιδεῖς* a regione, quam *Χαλκῖτιν* appellat Paus. 7, 5, 12."

Videmus igitur duas Teiorum symmorias, Geraïdas et Chalcideos, extra urbem habitasse, quas in topographicam urbis divisionem non receptas esse apparet. Sed cum cogitari non possit veteres illas gentes exclusas esse a populi divisione, quacum haud dubie cohaereret jus civitatis, ea de causa illos

---

13) cf. etiam occ. publ. Ath. 2, 686.

14) Paus. 7, 5, 12. *Χαλκίς*, non *Χαλκῖτις* regionis est nomen, quod recte restituit Schubartus.

vicos propriis vocibus juxta pyrgos urbanos permansisse censeo, ita quidem, ut diceretur *ὁ δεῖνα ἐκ Γεραϊδῶν* et *ἐκ Χαλκιδέων*, sicut de ceteris *ὁ δεῖνα ἐκ τοῦ Ἱέρυος πύργου* vel similiter. Ceterum quod in titulo 3064 *Χαλκίδειος* quidam, i. e. unus e symmoria *Χαλκιδείων*, pyrgo Stheneli ascriptus est, id facillime ita explicatur, ut ejus majores e vico in urbem migrasse statuantur.

Haec hactenus de symmoriis et pyrgis; jam de tribubus videbimus. Reperitur autem duobus in titulis (C. J. Gr. 3078. 3079) *ἡ φυλὴ ἡ Γελεόντων*, nota illa Attica tribus, homines bene meritos corona ornans. Ac Philippius quidem (Beitr. z. Gesch. d. att. Bürgerr. 294) hanc tribum solam Atticarum et posteriore quidem tempore Teum traductam esse ibique proprium vicum effecisse. tribus, quantum video, causis adductus suspicatur: quod Teos Minyarum colonia fuerit, quod sola Geleontum tribus reperiatur, quod in archontum catalogo gentilicio cognomento tribus non addita sit ideoque eae gentes partes tribuum esse non potuerint. At vero hae causae sunt nullae: etenim quamquam Minyae primi Teum incoluerunt, tamen Jonicam potissimum urbem fuisse supra (§ 1) demonstravimus; deinde, si exiguitatem fontium nostrorum respicimus, profecto non mirum est, quod solius Geleontum tribus nomen est servatum; denique cur illis gentiliciis cognominibus tribus addenda fuerit, plane non video: an duae appellationes, pyrgi et symmoriae, non sufficiebant? nonne in Attica, ut hinc exemplum sumam, solius demi designatio erat usitata? Quare Philippii sententiae assentiri minime possum. Ac ne illud quidem, quo praeterea niti videtur, similiter Tomis, in Milesia colonia, solam Argadensium tribum reperiri,[15]) idoneum est argumentum, praesertim cum hodie etiam Aegicorensium tribum Tomis norimus.[16]) Postremo omnino quattuor illae tribus Atticae semper conjunctae exstitisse videntur, ut imprimis Cy-

---

15) Ann. del. inst. arch. 1868, 97; Millingen in *Κωνσταντινουπ. Ἑλλην. φιλολ. συλλ.* 4, 105, n. 4.

16) Kumanudis in *νέα Πανδώρα* Jun. 1868, n. 10. 13; Millingen l. l. n. 5; Perrot mém. d'archéol. p. 198. 449.

zici[17]) et in metropoli Mileto, ut Boeckhius recte suspicatus est,[18]) deinde Perinthi, ubi saltem Geleontum et Aegicorensium tribus traditae sunt, unde eandem rationem in metropoli quoque Samo fuisse apparet,[19]), denique Ephesi, ubi sola quidem *χιλιαστὺς Ἀργαδέων*, pars *φυλῆς Ἐφεσέων*, reperitur,[20]) maxime autem verisimile est hanc Ephesiorum tribum praeter *Οἰνῶπας* et *Βωρέας* ex illis ipsis quattuor Atticis constitisse. Quare quin omnes tribus Atticae Teum sint traductae, cum Boeckhio (C. J. Gr. 2, p. 650 b) ne minime quidem dubito. Etsi quod Waddingtonius in Antigoni litteris (Leb. 86, v. 126) supplevit: *(τοὺς δεῖνα) αἱρεθῆναι ἐν τῇ πρώτῃ ἐκκλησίᾳ παρ' ἑκάσ(της φυλῆς)*, id haud dubie falsum est, quia non a tribubus, sed tantum e tribubus in comitiis poterat creari. Scribendum potius videtur *παρ' ἑκα(τέρων τρεῖς)*, scil. a Teiis et Lebediis, sicut v. 102, praesertim cum apographum nil nisi litteras *ἑκα* praebeat.

Sed valde dubium est, num Atticae solae tribus Tei exstiterint: nam Minyas et Cares illis esse ascriptos vix potest credi, nec magis eos tribus non effecisse. Quare cum Orchomeni duas tribus, Eteocleïdem et Cephisiadem, exstitisse Pausanias[21]) tradat, eas a Minyis Teum traductas esse mihi valde est probabile.

Cares autem vel Leleges vel quoscunque indigenas statuimus, et ipsos duas effecisse tribus ex aliarum coloniarum similitudine concluserim. In duabus enim Joniae coloniis, Cyzici et Perinthi, praeter Atticas tribus duas alias reperimus:

---

17) C. J. Gr. 3657. 3663—3665; Perrot expl. de la Gal. n. 49.

18) ad C. J. Gr. 2855; cf. 2878.

19) Dumont inscr. de la Thrace n. 72 e. f.; Mordtmann rev. arch. 36, 303. Quod Muellerus (Orchom. p. 445) in insula Samothrace, ubi Samii coloniam collocarunt (Paus. 7, 4, 3), easdem quattuor tribus cum una indigenarum conjunctas esse e Diodoro (5, 48) concludit, id non rectum mihi videtur, quoniam Diod. illas quinque tribus e filiis Saonis nominatas esse tradit ideoque certe eae alia habuerunt nomina.

20) Wood disc. at Eph. inscr. from the t. of D. 18. 19.

21) 9, 34, 10; cf. Müller Orchom. p. 177—179, qui quam tribum Phlegyantidem statuit, eam equidem non probo.

Βωρεῖς et *Οἰνῶπας*[22]) (Perinthi quidem solos Borenses, sed alteram quoque ibi fuisse verisimile est). Jam cum illae urbes diversae sint originis, quarum Cyzicus a Milesiis, Perinthus a Samiis condita sit, cum Mordtmanno (l. l.) crediderim tribus *Βωρέων* et *Οἰνώπων* Jonibus Asiae minoris fuisse communes, id quod nunc valde confirmatur nonnullis Ephesiis titulis,[23]) ubi *χιλιαστύες Βωρέων* et *Οἰνώπων*, partes *φυλῆς Ἐφεσέων*, reperiuntur. Atqui cum Mileti, Sami, Ephesi ex indigenis illae tribus effectae esse videantur, quarum initia haud scio an jam ante Jonum adventum fuerint,[24]) Tei quoque, ubi Cares Graecis admixtos esse certo scimus, idem factum esse satis est probabile. Accedit quod Oenopes principio quidem haud dubie vinitores fuerunt ideoque ejusmodi tribus Teo, ubi vitium culturam valde floruisse constet, satis est idonea. Nec tamen huic rei multum tribuerim.

Quae modo dixi, si vera sunt, Teias habemus tribus octo, cui numero nil jure posse opponi arbitror. Quarum tribuum partes symmorias fuisse compluresque symmorias collegia phratriis similia effecisse Boeckhius recte suspicari mihi videtur, propter ceterarum Graecarum urbium similitudinem. Rusticos vero, quamquam symmoriarum participes non fuerunt, ut supra dixi, tamen verisimile mihi videtur tribubus indigenarum *Βωρέων* et *Οἰνώπων* ascriptos esse, praesertim cum vinitorum plurimos ruri habitasse sit consentaneum; etsi certi quicquam hac de re affirmari non posse vix est quod moneam.

Quoniam de civibus Teiis satis disputatum esse censeo, sequitur ut cetera hominum Tei habitantium tractem genera. Sed hac in re pauca sufficiunt verba. Nam servos et libertinos plane omitto, quia eorum nusquam fit mentio, nisi quod

22) Cyzici: C. J. Gr. 3661. 3664. 3665. Perinthi: Dumont l. l. et Mordtmann l. l. v. supra n. 19.

23) Wood disc. at Eph. inscr. fr. the t. of Diana 10. 24; inscr. fr. the Aug. 1.

24) aliter de Borensium et Oenopum Cyzicenorum origine judicavit Boeckhius (C. J. Gr. 2, p. 933) sed ita cum nostra sententia congruens, ut eas tribus non Cyzici ortas, sed a colonis eo traductas esse censeat.

unus et alter in titulis sepulcralibus vel similibus invenitur;[25]) Romani quoque (i. e. negotiatores) semel tantum reperiuntur (bull. de corr. hell. 4, p. 179). Sed incolae in compluribus asyli decretis ita commemorantur, ut ad eos quoque beneficia in Teios collata pertineant. Sunt autem decreta Cnosiorum (Leb. 61 *τῶν παροίκων*), Cydoniatarum (Leb. 64 *τὸς κατοικόντας παρ' αὐτοῖς*), Sybritiorum (Leb. 66 = C. J. Gr. 3049 *τῶν παροίκων* et *τῶν παροίκων τῶν ἐν Τέῳ*), Apteraeorum (Leb. 68 b *τοὺς κατοικόντας παρ' αὐτοῖς*), Allariotarum (Leb. 73 *τὸς κατοικόντας παρ' αὐτοῖς*), Delphorum (Leb. 84 *τοῖς ἐν Τέῳ κατοικεόντοις*), Aetolorum (Leb. 85 = C. J. Gr. 3046 *τοὺς ἐν Τέῳ κατοικέοντας*). Quae satis habeo enumerasse.

Restat ut dicam de duobus oppidis Teiorum potestati subjectis. Ac primum quidem Myonnesum, quae inter Teum et Lebedum sita erat (Strab. 14, 643), Teiorum urbem Thucydides[26]) vocat, quamquam Romanorum temporibus non jam in eorum potestate illam fuisse e Strabonis loco, si recte intellegitur, apparet. Narrat enim Strabo l. l. artifices Dionysiacos seditione exorta Ephesum confugisse et pergit: *Ἀττάλου δ' εἰς Μυόννησον αὐτοὺς καταστήσαντος μεταξὺ Τέω καὶ Λεβέδου, πρεσβεύονται Τήιοι δεόμενοι Ῥωμαίων, μὴ περιιδεῖν ἐπιτειχιζομένην σφίσι τὴν Μυόννησον*, ubi ego quidem censeo Teios tale quid a Romanis petituros non fuisse, nisi Myonnesus iis subjecta non esset ideoque artificibus inimicis eo collocatis periculum iis esset ortum. Plane contrarie explicat illum locum Raoul-Rochette (3, 140), qui in eo quoque errat, quod Myonnesum coloniam Teiorum vocat; certe nil scimus de hac re. Usque ad Strabonis tempora Myonnesus haud dubie estitit;[27]) quare cum Plinius (5, 31) eam interiisse tradat, non multo antea id factum esse apparet.

Alterum oppidum est Erae, quod inter Chalcidenses et

---

25) *δοῦλος* C. J. Gr. 3104; *βέρνα* (= verna) 3095; *θρεπτός* 3124. Leb. 126. 1562. bull. de corr. hell. 4. p. 179; *θρέμμα* C. J. Gr. 3113; liberta C. J. L. 3, 1, 422.

26) 3, 32. *Μυοννήσῳ τῇ Τηίων.*

27) Strab. 14, 644 extr. *καὶ ἡ Μυόννησος δὲ ἐφ' ὕψους χερρονησίζοντος κατοικεῖται.*

Coryeum promunturium erat situm, πολίχνιον Τηίων.[28]) Jam quod Grotius (2, 149) e Thucydide (8, 19, 20) concludit liberam urbem eam fuisse videri, id non satis rectum esse arbitror. Narrat enim Thucydides in c. 19 anno 412 paulo post Tei ab Atheniensibus defectionem Chios aliosque rebelles Lebedum et Eras ab Atheniensibus abalienasse, et in c. 20 Diomedontem, Atheniensium ducem, pactione cum Teiis facta Eras recuperare frustra esse conatum. Sed in tanta omnium rerum perturbatione Eraeos, quamvis Teiis subjectos, tamen suo arbitrio egisse cur non credamus, plane non video. Ac ne illo quidem, quod Eraeos Atheniensibus tributa solvisse constat, possumus adduci, ut Teiis eos non subjectos fuisse censeamus, nam ne Pygela quidem et Marathesium, quae et ipsa in tributorum laterculis reperiuntur, libera fuerunt oppida, sed Ephesiorum potestati subjecta. Tamen non parvam civitatem Eras fuisse et ex eo elucet, quod a Diomedonte expugnari non potuerunt, et inde apparet, quod tributi primum terna talenta, deinde singula quotannis Atheniensibus pependerunt (C. J. A. 1, p. 226), qui numeri cum aliarum urbium tributis comparati non ita mediocres videntur. Sed postea satis comminutas esse Eraeorum opes fortasse e Strabonis vocabulo, quod est πολίχνιον, licet concludere, etsi urbem minimum usque in tertium p. Chr. saeculum fuisse nummo Caracallae (Mionn. suppl. 6, 212) demonstratur.[29])

28) Strab. 14. 644, ubi vera scriptura Ἔραι pro Γέραι a Palmerio restituta et a Kramero recepta est. Probatur autem duobus Thucydidis locis (8, 19, 20), ubi Ἐραί invenitur, et nummis (Mionn. 3, 126. suppl. 6, 212), ubi Ἐρα et Ἐράων legitur. Alia nominis forma erat Αἰραί (Steph. Byz. s. v.), unde Αἰραῖοι et Αἱραῖοι (cum Attica aspiratione) in Atticis tributorum catalogis (cf. etiam Boeckhium oec. publ. Ath. 2, 669) et Αἰραιεῖς bull. de corr. hell. 4, 175; eandem restituendam puto Scylac. 98, ubi codex ἄγρα praebet. Muellerus quidem (ad Scyl. l. l.) censet et hoc loco et apud Strab. Γέρας scribendum esse utpote Aeolicam formam Jonici nominis Ἔραι, et hanc urbem cum portu Geraïdis ita confert, ut illam quoque a Gere conditam esse statuat; sed horum utrumque haud dubie est falsum. Osannus quoque (in Diar. Arch. 1847, p. 93) Γέραι formam apud Strabonem praefert.

29) cf. etiam bull. de corr. hell. 4, 175, ubi ὁ δῆμος ὁ Αἰραιέων cum aliis collegiis Teio cuidam coronam tribuit.

Ceterum de condicione harum urbium et ratione, quae inter eas et Teum intercedebat, accuratius judicari non potest. Id addo, quod Grotius (2, 149) recte Myonnesum cum Pygela et Marathesio Epheso subjectis comparat.

§ 8. De contione senatu, gerusia.

Postquam priscum imperium regium sublatum est et deinceps nobilium dominatio, summam reipublicae penes populum fuisse et senatum consentaneum est. Quorum ratio et condicio cum haud dubie eadem fere fuerit atque in plurimis ejus orae civitatibus Graecis,[1]) non omnia ea enumerabo, quae Tei fuisse verisimile est, sed ea sola, quae e titulis vel aliunde certo comperimus.

Ac primum quidem senatus populusque per *ψηφίσματα* plurimas res ad rempublicam administrandam pertinentes curabant. Talium decretorum in numero hi sunt tituli: C. J. Gr. 3061 de ludis instituendis; 3062 et Leb. 88 de diebus festis agendis. Praeterea in omnibus asyli decretis psephismata commemorantur, quae Teii per legatos ad singulas civitates asyli causa miserant. Interdum decreta legum vim habebant (C. J. Gr. 3062 extr. *ψήφισμα νόμου τάξιν ἔχον*). De externis rebus in contionibus esse consultatum praeter bull. de corr. hell. 4, p. 50, v. 15 sq. etiam Livius (37, 28, 3) testatur. Accedit quod populus et legatos mittit (cf. asyli decreta; bull. l. l. v. 10; Liv. 37, 28, 1; Polyb. 5, 77) et Tyronem quendam Bargylietis petentibus arbitrum delegat (Leb. 87).

Etiam leges aut accipiendi aut reiciendi potestatem penes populum fuisse verisimillimum est, quamquam certi quid de hac re non constat. Nam ex Antigoni litteris, qui Teiis praescribit, quomodo novae Teiorum et Lebediorum civitati leges ferant (Leb. 86, v. 44—55), nil est concludendum. Servatae sunt nobis reliquiae legis agonisticae (C. J. Gr. 3060) et lex de ludo puerorum instruendo lata (bull. de corr. hell. 4,

---

1) cf. imprimis Menadier qua condicione Ephesii usi sint inde ab Asia in formam provinciae redacta p. 29—48.

110 sqq.)[2]) atque etiam dirae illae vetustae (C. J. Gr. 3044) haud dubie huc sunt referendae. Praeterea commemorantur *οἱ νόμοι οἱ περὶ ἱεροσύλου* (C. J. Gr. 3059, 15) et leges ad eruditionem puerorum pertinentes (Herm. 9, 501, 30).

Diversis locis decreta et leges lapidibus incisae collocabantur: C. J. Gr. 3060 in Apollinis templo (fortasse illi ludi ad ejus honorem sunt instituti); 3061 in Bacchi, ut videtur (quod templum summa fruebatur auctoritate); 3062 = Leb. 90 item in Bacchi templo,[3]) haud dubie quod illae caerimoniae cum Bacchi cultu cohaerebant.

Deinde non solum magistratus, sed etiam ludi magistros a populi in anniversariis *ἀρχαιρεσίαις χειροτονίᾳ* creatos esse egregio lapide confirmatur (bull. 4, p. 113 = Herm. 9, p. 501, v. 7. 10. 16).

Postremo quosdam honores, imprimis coronas et statuas, populus tribuit, aut solus (C. J. Gr. 3084. 3086. 3098. 3103. 3105. 3112. 3115. 3125. Leb. 101. 102. 104. 1558. bull. de corr. hell. 4, p. 179) aut, qui major erat honor, una cum senatu (C. J. Gr. 3076. 3092. 3094. Leb. 131). Praeterea civitate homines bene meritos a populo donatos esse Perdiccae exemplo demonstratur (cf. § 5, n. 12). Denique honorificam appellationem, quae est *υἱὸς τοῦ δήμου*,[4]) nonnisi a populo decretam esse consentaneum est.

Restat ut pauca addam de senatu. Atque quomodo reipublicae administrandae interfuerit, jam supra indicavimus. Sed etiam educationem puerorum senatui summae curae fuisse ex eo collegerim, quod *αἱ ἀποδείξεις, ἃς ἔδει γίνεσθαι ἐν τῷ γυμνασίῳ*, in buleuterio jubentur fieri (bull. 4, p. 114 = Herm. 9, p. 501, v. 32—34). Proprias opes senatui fuisse non solum inde apparet, quod coronae honorem tribuit et statuas erigit

---

2) = Herm. 9, 501 + C. J. Gr. 3059, quos titulos partes esse unius inscriptionis l. l. doctum est. Ibidem titulus completior et correctior proponitur.

3) neque enim cum Waddingtonio (*ἐν τῷ θεάτ)ρῳ τοῦ Διονύσου*, sed cum Boeckhio (*ἐν τῷ ἱε)ρῷ τοῦ Διονύσου* legendum puto, etiamsi ille titulus in theatro a Lebasio sit repertus, ut Waddingtonius dicit.

4) C. J. Gr. 3082. 3083. cf. Menaderium p. 47.

aut cum populo (cf supra) aut solus (C. J. Gr. 3098. Leb. 108), sed inde quoque etiam magis elucet, quod et pecuniae ei legantur (C. J. Gr. 3094) et poenae sepulcrales ei decernuntur (C. J. Gr. 3126. Mus. Rhen. 27, 467). Addo denique quod posteriore aetate *ἡ βουλὴ* more temporum *ἱερωτάτη* appellabatur.[5])

Postremo, ut in plurimis illius orae civitatibus, ita Tei quoque invenitur gerusia,[6]) de qua cum Menaderius (p. 48—63) accuratissime scripserit, ad eum potissimum reicio. Hunc si sequimur, gerusia erat publicum collegium imprimis ad sacras res pertinens, quod quidem de ipsa Teo confirmare propter exigua testimonia non licet. Nam e titulis allatis nil nisi hoc apparet gerusiam honorem coronae tribuisse (3098. 3112), deinde interdum largitionibus esse donatam (3080), denique proprium, quo conveniret, locum habuisse (*ἡ στοὰ τῆς γερουσίας* 3080).

§ 9. De magistratibus.

Omnes magistratus nomine *ἀρχόντων* comprehensos esse cum per se pateat, tum titulo C. J. Gr. 3059, v. 5 confirmatur. Tamen interdum certos quosdam magistratus eo nomine designatos esse infra videbimus. Ji magistratus, qui e compluribus hominibus ita constabant, ut unus princeps esset (erant autem plurimi), vocabantur *συναρχίαι* (Leb. 88). Neque solum in urbe, verum etiam ruri (*ἐν τῇ χώρᾳ*) ejusmodi erant synarchiae (l. l.). Intellegendi sunt vici ad urbem pertinentes, ut Geraïdae et Chalcidenses, nec vero, opinor, oppida subjecta, Myonnesus et Erae.

Ἀρχαιρεσίας anniversarias fuisse jam supra notavimus, unde simul vel omnes vel plurimos magistratus annuos fuisse apparet, id quod praeterea ex annuorum archontum catalogo sequitur (C. J. Gr. 3064).

Singulis mensibus magistratibus rationes erant reddendae, siquidem e quaestoribus de ceteris judicare licet (bull. de corr.

---

5) C. J. Gr. 3094. 3126, qui tituli in imperatorum incidunt tempora.
6) C. J. Gr. 3080. 3098. 3112.

hell. 4, p. 115, v. 55 = C. J. Gr. 3059, 19 *μετὰ τοῦ λόγου τοῦ ἐμπορίου τὴν ἀφήγησιν*). Errat autem Menaderius (p. 66), cum dubitat, num usque in Romanorum tempora hic mos permanserit; nam in ipsa imperatorum tempora hunc titulum incidere veri est simillimum (v. infra § 13, n. 1).

Eundem magistratum ab eodem homine compluries geri potuisse per se verisimile est, et de strategis quidem nummis confirmatur.[1] Sed num diversis magistratibus eodem tempore fungi licuerit, valde est dubium.

Denique *ἀρχεῖον* commemoratur (Leb. 86, v. 42), ubi, opinor, vel omnes vel certe summi magistratus muneribus suis fungebantur.

Sed jam ad singulos nos convertamus. Atque antiquissimis temporibus penes regem summam fuisse potestatem jam supra diximus (§ 2). In ejus locum aliquanto post, cum regium imperium nobilium principatu tolleretur, ut alibi ita Tei quoque prytanem successisse valde est verisimile. Jis autem temporibus, quorum tituli nobis sunt servati, prytanis sacerdotis tantum munere fungebatur, id quod dilucide apparet e titulo Leb. 88, ubi sacrificia quaedam committuntur duobus sacerdotibus et prytani et hieropoeis, cum in sequentibus demum magistratus, timuchi et strategi, commemorentur. Praeterea eponymiae honorem retinebant (C. J. Gr. 3065). Quae cum ita sint, neque illud Boeckhio (C. J. Gr. 2, p. 649) assentiri possum, quod prytanem timuchorum principem fuisse suspicatur, neque hoc, quod annuorum archontum catalogum (C. J. Gr. 3064) prytanum nomina continuisse censet. Nam summos magistratus in hoc titulo inscriptos esse inde apparet, quod ordo nominum nonnullis *ἀνάρχοις* annis intermittitur; ergo de prytanibus cogitari non potest. Cur autem catalogi nomina eponymis magistratibus cum Boeckhio sint ascribenda, non video.

---

1) Mionn. 3, p. 260. *στ. Τερτύλλου ε Τηίων.* Praeterea iidem homines sub diversis imperatoribus strategi reperiuntur (nam nil demonstratur iis nummis, qui ejusdem sunt imperatoris): Pancrates et Hermogenes sub Valeriano et Gallieno (3, 264 et suppl. 6, 387), Artemidorus sub Philippo et Decio (suppl. 6, 385/6).

Insignes haud dubie magistratus erant timuchi, quos post prytanem summam rerum administrasse opinor et democratiae proprios fuisse magistratus. Nam primum jam in antiquissimo Teiorum titulo (C. J. Gr. 3044, v. 29 sqq.; cf. Roehl inscr. Gr. ant. p. 135 sq.), qui in quintum saeculum incidit, summi magistratus esse videntur, cum illas diras quibusdam sollemnibus pronuntiare jubeantur, quae res item occurrit in titulo bull. de corr. hell. 4, 115, 61 sqq. Praeterea unus timuchus (praeses, opinor, collegii) senatoribus fenora pecuniae senatui legatae distribuit (Leb. 1559), quare senatui praefuisse mihi videntur. Denique timuchis una cum strategis cujusdam diei festi cura committitur (Leb. 88). Sed e titulo C. J. Gr. 3060, 16, ubi Boeckhius per conjecturam „admodum incertam" *τῶν τιμούχων* scribit, propter lapidis corruptionem nil possumus lucrari. Quae cum ita sint, crediderim equidem timuchos Teios archontibus Atticis simillimos fuisse, quia omnia fere, quae de illis statuere licet, etiam in horum erant potestate: quod diras pronuntiabant (Plut. Sol. 24); sollemnia curabant, nisi quod timuchi etiam senatui (et contioni?) praefuisse videntur. Idem fere sentit Boeckhius, cum dicit, minus perspicue quidem quam solet, „dirarum obnuntiationem ordinario fere ei magistratui competere, qui prytanum nomine vulgo vocatur, vel archontibus. Hi igitur ipsi prytanes et praesides opinor prytanum archontes Tei videntur *τιμοῦχοι* dicti." Similes Teiis fuisse videntur ii timuchi, qui Naucrati (Athen. 4, 149 F) et in Messenia restituta (Suid. s. v. *Ἐπίκουρος* et *τιμοῦχος*) reperiuntur, cum in insula Thaso imperatorum quidem tempore sacerdotes eos fuisse inde appareat, quod feminae quoque hoc munere fungebantur (C. J. Gr. 2162). Sed plane diversi Massilienses erant timuchi, *ἀνδρῶν ἑξακοσίων συνέδριον* (Strab. 4, 179; cf. Val. Max. 2, 6).

Timuchos postea a strategis loco suo depulsos esse ex eo collegerim, quod inde ab Alexandri Magni fere temporibus in plurimis Graecis civitatibus strategi summum locum tenebant (cf. imprimis Digest. 27, 1, 15, 9 *ἐὰν ὁ τῆς πόλεως ἄρχων, τοῦτ᾽ ἔστιν ὁ στρατηγὸς κτλ.*). Et quamquam Eumenis II. quidem temporibus timuchis et strategis parem fere potestatem fuisse propterea credo, quod sollemnium quorundam cura iis conjunctis

mandatur (Leb. 88; de aetate tituli cf. supra § 5, n. 18), atque adeo senatui timuchi semper praefuisse videntur[2]), tamen certe Romanorum temporibus summa potestate strategos sive potius eorum principem (C. J. Gr. 3129. Leb. 1558. bull. de corr. hell. p. 170. 173) praeditum fuisse magna multitudine nummorum strategi nomen exhibentium demonstratur. Jam cum e strategorum nominibus in nummis autonomis traditis complura inveniantur etiam in archontum catalogo[3]), valde mihi est verisimile hos archontes non esse alios nisi strategos, qua cum sententia optime convenit, quod in catalogo haud dubie, ut jam dixi, summi magistratus continentur; nec magis temporum ratio abhorret, quoniam illum titulum in secundum vel primum a. Chr. saeculum incidere propter litterarum formas est verisimile. Interdum strategi universo archontum nomine designati videntur, ut bull. de corr. hell. 4, p. 164 *οἱ συνάρχοντες οἱ σὺν Μητροδώρῳ Μητροδώρου* (e secundo ante Christum saeculo; cf. l. l. p. 167), deinde C. J. Gr. 3062 = Leb. 90 (qui titulus in Romanorum tempora incidit), ubi populus jubet *τοὺς ἄρχοντας τῆς πόλεως ἀεὶ θύειν ἑκάστου μηνὸς ἱσταμένου ἑβδόμῃ εὐχομένους ὑπὲρ τῆς πόλεως τὰ κάλλιστα*, denique C. J. Gr. 3076 = Leb. 99, ubi *ὁ ἄρχων καὶ . . . . . τῆς πόλεως* imperatori alicui publicam statuam erigendam curat. Quibus titulis simul de nonnullis officiis summi magistratus docemur. Num vero etiam ii „magistratus", quos populum in contionem vocasse Livius (37, 28) tradit, strategi fuerint, dubium potest videri, quoniam illo tempore (anno 190) fortasse timuchi etiam praevaluerunt, etsi non minus utrique possunt intellegi, sicut Leb. 88 conjuncti reperiuntur. Addo denique, quod apud Aeneam Poliorceticum (18, 9) strategus nondum summus magistratus est, sed dux militum, quippe qui portas urbis claudendas curet (*ἐπεὶ δὲ παρῆν ὁ στρατηγὸς κλεῖσαι τὰς πύλας*) (cf. § 4 extr.).

Jam de euthynis pauca dicenda sunt. Ac primum quidem

---

2) Leb. 1559, qui titulus Antonini Pii aetate non est superior propter nomen Aurelii.

3) *Μητρόδωρος* Mionn. 3. 259, n. 1471 et 260, n. 1482 = C. J. Gr. 3064, 34. *Ἀρτέμων* Mionn. suppl. 6, 377, n. 1893 = 3064, 9. *Πολύθρους* Mionn. 3, 260, n. 1483 = 3064, 7, ubi haud dubie *Πολύθρους* est legendum.

eiciendos illos puto e diris, quarum apud Boeckhium hoc est initium: *ὅστις Τηίων ε(ὐθ)ύνῳ ἢ αἰσυμνήτῃ ἀπειθοίη.* Nam cum in iis, quae sequuntur, de solis aesymnetis agatur, non dubium mihi videtur, quin cum Chishullio (Antiq. Asiat. p. 99) sit supplendum: *ὅστις Τηίων ἐ(ν ξ)υνῷ* i. e. quisquis in republica Teiorum etc., id quod insuper adjuvatur simili dictione *περὶ Τηίων τοῦ ξυνοῦ* (v. 24—25). Hoc loco remoto euthyni semel inveniuntur in titulo bull. 4, p. 115, v. 60 = C. J. Gr. 3059, 24, e quo apparet omnes pecunias publicas, velut multas judiciarias, iis exigendas fuisse. Erant igitur *πράκτορσιν* Atheniensium similes; sed cum in voce *εὐθύνων* haud dubie plus insit, ne ab euthynis quidem Atticis admodum diversos eos fuisse crediderim. Idem fere sentit Boeckhius: „euthyni Teiis manifesto simul *πρακτόρων* loco sunt."

Cum euthynis summa redituum publicorum cura tradita videatur, aerarium ipsum a quaestoribus (*ταμίαις*) administratum esse et per se patet et lege quadam (bull. 4, 114, 40 sqq. = C. J. Gr. 3059, 4 sqq. bull. l. l. 66 sqq.) demonstratur, qua iis pecuniae ad puerorum ludum instituendum destinatae mandantur, quas si qui *ταμίαι* successoribus non secundum legem tradunt vel ad alias res absumunt, illi successores jubentur *εἰς τὸν λόγον — τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων τὸ ἴσον ἐκ τῶν τῆς πόλεως προσόδων καταχωρίζειν.* Praetera in simili lege (3060, 11. 19) quaestores commemorantur, sed is titulus tam mutilus est, ut inde fructum quemquam capere non liceat.

Παραπρυτάνεις, qui nuper titulo secundi a. Chr. saeculi innotuerunt (bull. de corr. hell. 4, p. 164. 175), haud dubie prytanis erant assessores, ita ut illo tempore nonnisi sacris muneribus eos functos esse sit verisimile. Praeterea Smyrnae tantum *παραπρυτάνεις* nobis sunt noti (C. J. Gr. 3168).

Deinde *γραμματοφυλάκων* curae (bull. l. l. 173) tabularium erat commissum; qui magistratus multo sunt notiores, cum inveniantur Therae, Smyrnae, Panticapaei, imprimis autem Spartae (C. J. Gr. ind.), ubi *γραμματοφύλαξ* inter *νομοφύλακας* refertur (Boeckhius in C. J. Gr. 1, p. 609 a). Cf. etiam Menaderium p. 81.

Scribas denique infimum omnium magistratuum locum

obtinuisse inde collegerim, quod in *ἀρχαιρεσίαις* ultimi creabantur (Herm. 9, 501, v. 8). Fuerint vero scriba populi et scriba senatus, ut aliis in civitatibus.

Hi, quos adhuc enumeravi, ordinarii fuerunt Teiorum magistratus; restat ut de aesymnetis paucis disseram. Dirae enim illae, quas saepius attuli (C. J. Gr. 3044), in eo potissimum versantur, quod aesymnetarum potestatem circumscribunt. Quaeritur, quales magistratus illi fuerint. Ac primum quidem Boeckhio assentior, quod e verbis *ὅστις τοῦ λοιποῦ αἰσυμνῶν* (v. 8—9) extra ordinem aesymnetam institutum esse concludit. Deinde e toto argumento apparet summum eum fuisse magistratum, cui qui non paret vel obsistit, diris devoveatur (v. 3—8). Nec vero omnia suo arbitrio regere ei licebat, sed primum his ipsis tenebatur diris, quibus vetabatur contra legem quemquam interficere vel hostibus obicere vel praedari vel latrocinari vel praedones vel latrones sciens excipere vel mala consilia de republica capere (v. 8—28), praetereaque legibus obstrictus erat, siquidem Boeckhius v. 10—11 recte restituit *ἢ τοὺς ἄνδρας ἀποκτείνειε παρὰ τὸν νόμον*. Creaverint igitur Teii ejusmodi extraordinarium magistratum in discordiis civilibus ad sedandum discidium et rempublicam ordinandam. Potuit autem vel in ipsa Teo vel in agro Teiorum *αἰσυμνᾶν* (v. 8—10), i. e. aut universae reipublicae aut parti praeesse, unde etiam in illos vicos et oppida, de quibus supra disserui, aesymnetam potuisse mitti apparet.

Sine dubio autem, antequam hae dirae componerentur, turbae Tei fuerant, quas ut sedaret, aesymneta erat institutus. Hic vero potestatem suam videtur vehementer migrasse, quo factum est, ut cujusque futuri aesymnetae potestas his diris semel circumscriberetur. Hoc fere certum mihi videtur, sed accuratius definire eam rem non licet.

Jam de tempore dirarum ideoque aesymnetarum pauca sunt proferenda. Nam quod Chishullius (Antiq. Asiat. p. 100) Teios statim, postquam Abderis revertissent, diras composuisse statuit, cum manifesta earum causa minime congruit. Jam Boeckhius, cum v. 17—18 *περιγ(ενομένους) λοι(μ)οῦ* scribit, censet „has diras post aliquam pestem exaratas esse, fortasse

post eam, quae initio belli Peloponnesiaci grassata est, vel post paulo antiquiorem, quae Lemnum et alia loca invaserat (Thuc. 2, 47)", ad quod Franzius (el. ep. Gr. p. 108) bene annotat: „quamquam de priore (i. e. recentiore) peste propter tituli vetustatem equidem non cogitaverim." Sed neque tempus illius antiquioris pestis accurate definiri potest, cum Thucydides prius (*πρότερον*) eam ingruisse dicat, neque omnino Boeckhii conjectura recta mihi videtur, quoniam sententiarum nexus nimis est mirus[4]). Ego quidem scribere malim *ἐν ἀρούρῃ περι(π)ο(λίῳ τοῦ) λοι(π)οῦ*, ut sit sententia: quicunque aesymneta — homines in insula vel in mari vel in agro circum urbem sito in posterum hostibus obiciet — sacer esto. Ergo ex peste aliqua de tempore nil concludi posse credo. Tamen id fere constat, quod etiam Franzius, Waddingtonius (3, 2, p. 28), Kirchhoffius[5]) censent, medio fere saeculo quinto titulum esse tribuendum. Hoc igitur ad tempus Teiorum mos aesymnetas creandi est referendus, quae consuetudo postea haud dubie obsolevit. Quare quod Boeckhius censet *ἀνάρχοις* illis annis, qui in archontum catalogo (C. J. Gr. 3064) reperiuntur, aesymnetas rempublicam rexisse, valde est dubium, quoniam ille titulus multo inferioris est aetatis (cf. n. 3). Quales quidem fuerint hi *ἄναρχοι* anni, definire non possumus; tamen illa contra artifices Dionysiacos seditio (Strab. 14, 644), quam Boeckhius huc refert, plane alius est generis, tunc enim urbem *ἄναρχον* fuisse vix potest credi.

Boeckhius non dubitat, „quin aesymnetes ejusmodi intellegendus sit, qualem describunt Arist. Polit. 3, 9. 4, 8 et Theophr. apud Dion. Hal. 5, 73, hoc est dictator sive *αἱρετὸς τύραννος*." Ac sane concedendum est antiquis illis aesymnetis, quorum imprimis fuit Pittacus Mytilenaeus, Teios ante dirarum tempora simillimos fuisse, postea autem horum potestas haud dubie multo erat minor. Nam quaecunque veteres de illis tradunt, vebut *δεσποτικῶς καὶ κατὰ τὴν αὑτῶν γνώμην*

4) Nec magis certum est *ἀπὸ νόο(ου)* v. 1, quod Röhlius (inscr. Gr. antiqu. p. 136) supplevit.

5) Stud. z. Gesch. d. gr. Alph. p. 12 sq. Ad Ol. 76—77 (476—468) titulum refert.

eos regnasse (Ar. Pol. 4, 10), *ἀνυπευθύνους* fuisse (Theodor. Metoch. Miscell. c. 101), quin etiam Epimeni, Milesio aesymnetae, interficiendi quemcunque vellet potestatem esse datam (Nic. Dam. Exc. 53), ea omnia minime conveniunt cum iis, quae in titulo nostro de aesymnetarum potestate constituuntur, quippe quae et diris et legibus admodum circumscribatur. Plane autem diversi sunt et Cymes aesymnetae, ubi archontem eo nomine significatum esse Aristoteles tradit[6]), et *αἰσιμνᾶται* Megarenses et Chalcedonii, quos menstruos senatus praesides fuisse, prytanibus Atticis similes, satis constat[7]).

§ 10. De liturgiis.

Ὅσοι δὲ κεχορηγήκασιν ἢ τετριηραρχήκασιν ἢ ἄλλην λητουργίαν παρ' ἀμφοτέροις λελητουργήκασιν κτλ., Antigoni sunt verba in litteris ad Teios datis (Leb. 88, v. 66—67), unde colligere licet liturgiarum rationem eandem fere fuisse atque Athenis, praesertim cum praeter choragiam et trierarchiam etiam *προεισφορὰν* Tei usitatam fuisse iisdem litteris doceamur.[1]) Sed accuratius hac de re judicari non potest, ne catalogis quidem victorum adhibitis, quibus choragi exhibentur (C. J. Gr. 3089. 3090).

Agonothetas, quamdiu Dionysiaci artifices Tei habitabant, ex horum fuisse numero infra docebimus; postea autem, id quod patet, cives hoc munere fungebantur, ita quidem, ut ad singulos ludos curandos singuli agonothetae destinarentur (C. J. Gr. 3082. Leb. 101). Interdum, si non semper, privato sumptu praemia victoribus tribuenda augebant (3082).

Jam hoc loco fortasse non inutile est ludos, quos scimus Tei celebratos esse, breviter enumerare. Sunt autem hi certi: Anthesteria, Heraclea, Dia (C. J. Gr. 3044, v. 32—34), Dionysia (C. J. Gr. 3067, 28. Leb. 92),[2]) *πενταετηρικοὶ ἀγῶνες*

---

6) Etym. M. s. v. *αἰσ.* = schol. Eur. Med. 19.

7) De Megaris v. Curtium in diar. archaeol. 1853, 382 et Vischerum kl. Schrift. 2, 67; de Chalcedone C. J. Gr. 3794 cum Boeckhii annotatione.

1) v. 115. *εὑρίσκομεν ἀεὶ μόνον προεισενεγκεῖν ὑμῶν τοὺς εὐπορωτάτους.* Quae vero sequuntur, sunt jussa Antigoni, e quibus nil est concludendum.

2) etiam C. J. Gr. 3089. 3090 haud dubie huc pertinent.

Διονυσιακοὶ Καισάρηοι (C. J. Gr. 3082), ludi dedicati Eumeni II. (C. J. Gr. 3068 A; cf. § 5, n. 17), Apollonidi, Eumenis matri (Leb. 88 extr.), Attalo (Leb. 93). Deinde Mercurio et Herculi (C. J. Gr. 3087),[3]) Apollini (3060), regibus Pergamenis (3061) ludos dedicatos esse veri est simillimum. Plurimi ludi haud dubie erant musici, gymnici quoque Apollinares, gymnici tantum ludi Mercurio Herculique dicati. Videmus autem e magno numero ludorum, quantopere musicis artibus Teii fuerint dediti.

Sed pergamus liturgias perlustrare. Ac gymnasiarchi quidem praeerant gymnasiis.[4]) Quod cum in titulo Leb. 1558 *οἱ νῦν ἔφηβοι οἱ ὑπὸ γυμνασίαρχον* commemorentur et C. J. Gr. 3060 gymnasiarchus cum *παισὶ* videatur conjunctus, haud dubie gymnasia epheborum et puerorum sunt intellegenda. Una cum *παιδονόμῳ* praeficitur gymnasiarchus ludo cuidam *παίδων*, *παρθένων*, *ἐφήβων*, in quo non solum gymnicae artes, sed etiam grammatica et musica exercentur (bull. l. l. imprimis v. 22—23 et 29). Sed a paedonomo ita distinguendus videtur gymnasiarchus, ut illi *παίδων* potissimum et *παρθένων*, huic etiam *ἐφήβων* totiusque ludi cura sit tradita (quare gymnasiarchus priore loco creatur). Quae res non solum ipsis vocabulis declaratur, sed inde quoque apparet, quod paedonomus et de numero *παίδων* in singulas classes recipiendorum et de aetate eorum *παίδων*, qui musicis artibus sunt instruendi, decernit (v. 19—20. 31—32). Sed etiam puellas ejus curae esse traditas alio titulo demonstratur (Leb. 88 *τὰς παρθένους τὰς ἐπιλεγείσας ὑπὸ τοῦ παιδονόμου*). Addo quod paedonomus non minor quadraginta annis esse jubetur (v. 2—3), id quod etiam de gymnasiarcho decretum esse verisimile est.

Ut *παῖδες* et *παρθένοι* a paedonomo, ita ephebi ab ephebarcho regebantur.[5])

---

3) ubi non (*ἀνέσ*)*τησαν*, sed (*ἐνίκ*)*ησαν* scribendum puto (cf. infra § 15, n. 3). Nec vero 3059 ad ludos pertinet, id quod Boeckhius censuit (cf. bull. 4. p. 110 sqq.).

4) C. J. Gr. 3060. 3086. 3087. Leb. 1558. bull. 4, p. 113 = Herm. 9. p. 501. Complura gymnasia 3123, v. 1 commemorantur.

5) C. J. Gr. 3085, nec vero 3086, quem titulum haud dubie rectius supplevit Waddingtonius (Leb. 105).

Deinde in liturgias referendi sunt legati publice missi (cf. § 8) et theori (cf. § 15 extr.).

Denique, quamquam non sunt liturgi, commemoro *σιτώνας*, qui publica auctoritate frumentum emebant, saepe cum magno suo sumptu (C. J. Gr. 3080), et curatores operum publicorum, ut moenium reficiendorum, qui semper terni fuisse videntur (Leb. 111. 1557. 1560).

Eundem hominem eodem munere saepius fungi potuisse cum per se pateat, tum nonnullis exemplis demonstratur.[6]) Sed num ad munera suscipienda cives cogi potuerint, dubium potest videri; certe in titulo C. J. Gr. 3080 laudatur aliquis *ἀναδεξάμενος τοῖς ἀναγκαιοτάτοις καιροῖς σειτωνίας πλεονάκις, ὅτε μηδείς.*[7]) Postremo liceat mihi commemorare gymnasiarchum illum et paedonomum in comitiis esse creatos (bull. l. l. v. 1—2), id quod in universum factum esse non est probabile.

§ 11. De judiciis poenisque.

Unus titulus, quem ad Teiorum rem judiciariam exigue cognoscendam possumus adhibere,[1]) est lex illa de puerorum ludo instituendo (bull. de corr. hell. 4, p. 110 sqq.; cf. § 8. n. 2), cujus quae verba ad nostram quaestionem pertinent, liceat mihi afferre. Sanciuntur enim haec: pecuniae a Polythro quodam ad ludum condendum donatae quaestoribus publicis procurandae traduntur; sin qui *ταμίαι* eas successoribus non legitime tradunt vel si auctore aliquo sive magistratu sive privato contra legem ad alias res absumuntur, e reditibus publicis restituuntur, nocentes vero de restituenda pecunia in jus vocantur. Pergitur enim (v. 54 sqq.): *δικασάσϑω δὲ αὐτῷ ὁ βουλόμενος καὶ ἐν ἰδίαις δίκαις καὶ ἐν δημοσίαις καὶ μετὰ τοῦ λόγου τοῦ ἐπιμηνίου τὴν ἀπήγησιν καὶ ἐγ καιρῷ ᾧ ἂν βούληται, προϑεσμία*

---

6) de agonotheta C. J. Gr. 3082; de gymnasiarcho Leb. 105 (ubi rectius suppletum est quam C. J. Gr. 3086); de sitona C. J. Gr. 3080.

7) alibi videntur cives cogi potuisse, ut munera susciperent. cf. Menaderium p. 90.

1) Nihil enim concludendum est e litteris Antigoni, qui Teiis Lebediisque rationem controversias componendi praescribit (Leb. 86, v. 24—44).

δὲ μηδὲ ἄλλῳ τρόπῳ μηθενὶ ἐξέστω τῶν δικῶν τούτων μηδεμίαν ἐμβαλεῖν, ὁ δὲ ἁλισκόμενος ἐκτινέτω διπλάσιον. Jam his ex verbis, quibus restitutis Boeckhii annotationes ad titulum 3059 magna ex parte evertuntur, apparet, id quod sane est singulare, hac in re non solum publicas, sed etiam privatas causas potuisse intendi, nec solum in rationibus reddendis, sed quo quis tempore vellet, ac ne praescriptione quidem talem accusationem effugi potuisse, cum Athenis ultra tricesimam diem *εὔθυναν* intendere nemo posset. Haec vero vulgaria apud Teios fuisse via est credibile; illae enim pecuniae erant sacrae (*ἱερὸν Ἑρμοῦ καὶ Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν* v. 57—58), hujusmodi autem causae Graecis videbantur gravissimae et severissime agitabantur.

Jam is, qui tali in actione convincitur, et decem milibus drachmarum multatur (v. 52—53) et duplicem absumptae pecuniae summam debet solvere, cujus dimidia pars civitati restituitur, dimidiam accipit accusator (v. 57 sqq.). Has pecunias euthynis esse exigendas jam supra dixi.[2])

Praeterea malefici illi eorumque posteri devoventur et pro sacrilegis habentur (v. 48 sqq. cf. v. 61 sqq.). Atque omnino ejusmodi diras apud Teios potissimum non inusitatas fuisse duobus aliis testimoniis confirmatur, et vetustissimo omnium titulorum (C. J. Gr. 3044) et alio valde recenti (Leb. 90 = C. J. Gr. 3062), quo demonstratur hunc morem usque in Romanorum tempora permansisse. Fuerit autem non supervacaneum breviter enumerare, quales homines a Teiis sint devoti. Atque antiquis illis diris, quisquis aesymnetae adversatur et aesymneta ipse auctoritate sua abutens, deinde timuchi dirarum pronuntiationem neglegentes et omnes diras lapidibus incisas violantes, tum venefici, denique quisquis frumentum ne importetur impedit, ii omnes eorumque genus devoventur; in altero autem titulo ii, qui caerimonias quasdam neglegunt in ipso titulo decretas.

---

2) Eadem fere decernuntur in eos quaestores, qui non legitime vel pecuniam mutuam dant vel mercedem magistris solvunt, nisi quod non decem, sed duobus milibus drachmarum multantur (v. 66 sqq.).

§ 12. De reditibus sumptibusque publicis.

De reditibus Teiorum publicis, qui in ταμεῖον (C. J. Gr. 3113) confluebant, perpauca e titulis possunt colligi. Ac principem locum portoria tenuisse mihi videntur,[1] propterea quod Teos haud dubie celebre erat emporium; de aliis vectigalibus nil est traditum. Redimebantur autem illa a τελώναις;[2] praeterea posteriore quidem tempore ἀλαβάρχης invenitur, legitur enim in nummo quodam Τηΐων ἀλαβάρχου (Mionn. suppl. 6, p. 379, n. 1912), quod proprium nomen minime potest esse. Atqui cum is alabarcha, qui Alexandriae erat, vectigali alicui praepositus esset (Cod. Justin. 4, 61, 9; cf. Joseph. Ant. 18, 6, 3), tale quid Teium quoque alabarcham administrasse valde est verisimile. Praeterea Xanthi Lyciae alabarcha reperitur (C. J. Gr. 4267), sed hujus praeter nomen nil est cognitum.[3]

De extraordinariis reditibus haec fere scimus. Primum enim ex illa προεισφορᾷ τῶν εὐπορωτάτων, quam supra in liturgiarum numero attulimus, concludere licet, si quando reipublicae pecunia opus erat, sive ad bellum gerendum sive ad aliud quid, civibus tributum e censu esse imperatum. Sed accuratius hac de re statuere nil possumus.

Accedunt multae (bull. de corr. hell. 4, p. 115, v. 53. 68), poenae sepulcrales aerario addictae (C. J. Gr. 3113) et pecuniae civitati legatae (C. J. Gr. 3080). Denique ad certas quasdam res reipublicae pecunia vel donabatur vel legabatur, ut ad ludos et sacra instituenda[4]) et ad educandos pueros.[5])

Etiam parciora de sumptibus publicis comperimus. Nam ut de coronis tribuendis et statuis erigendis taceam, sunt duae potissimum res, de quibus aliquantulum titulis docemur. Ac primum quidem ad frumentum emendum partem aerarii desti-

1) τὰ τέλη Leb. 86, v. 97. 101. 114, e quo titulo simul apparet omnes res vel importandas vel exportandas in foro exponi opus fuisse; nam Antigonus hanc rem jubet tolli (v. 94—101, imprimis 96—97).

2) Leb. 86, v. 100, siquidem Waddingtonius recte supplevit.

3) cf. de alabarcha Marquardtium röm. Staatsverw. 1, 289, n. 1.

4) C. J. Gr. 3060 haud dubie huc referendus est.

5) bull. de corr. hell. 4, 110 sqq. (cf. supra § 8, n. 2). Polythrus quidam non minus 34000 drachmas ad hanc rem largitur (v. 4—7).

natam fuisse ex Antigoni litteris apparet.[6]) Nam parvos Teiorum fines, quamvis fuerint feraces, non satis frumenti tulisse apertum est. Hinc etiam dirae illae: *ὅστις ἐς γῆν τὴν Τηίην κωλύοι σῖτον ἐσάγεσθαι ἢ τέχνῃ ἢ μηχανῇ ἢ κατὰ θάλασσαν ἢ κατ' ἤπειρον ἢ ἐσαχθέντα ἀνωθεοίη, ἀπόλλυσθαι καὶ αὐτὸν καὶ γένος τὸ κείνου.* *Σειτώνας* autem illud frumentum emisse nec raro de suis opibus ad publicas addidisse jam supra diximus.

Deinde opera publica satis magnas pecunias requirebant. Tres autem habemus titulos ad moenium restitutionem pertinentes: Leb. 111. 1557. 1560, quorum in duobus impensae pecuniae summa est servata, in altero 5000 drachmae, in altero $3321^5/_6$ drachmae et $36^1/_2$ drachmae Alexandreae.

§ 13. De institutione puerili.

De publicis Teiorum rebus disputans non ineptum censeo pauca adicere de puerorum educatione, quippe quam summae curae et populo et senatui Teiorum fuisse videamus. Testis est insignis ille titulus (bull. de corr. hell. 4. p. 110 sqq.; cf. § 8, n. 2)[1]) continens legem ad ludum instituendum pertinentem, qua singula quaeque de ea re sanciuntur. Inde vero potissimum populi cura elucet, quod et praefecti ludi et plurimi magistri in comitiis creari jubentur; praetereaque *νόμοι* ad hanc rem pertinentes jam prius lati v. 30 commemorantur. Nec minus senatui puerilem institutionem curae fuisse ex eo colligendum videtur, quod *ἀποδείξεις*, quae debebant esse in gymnasio, ut in curia agantur, decernitur (v. 32—34).

Fuerit autem non alienum, quomodo ludus instructus fuerit, paucis exponere. Constabat enim e pueris puellis ephebis et omnibus quidem ingenius cujusque generis, quod de pueris diserte dicitur[2]) et de reliquis est verisimile. Nec vero omnes omnibus erudiebantur artibus. Etenim a tribus *γραμματο-*

---

6) Leb. 86, v. 72—94, etsi valde cavendum est, ne quicquam amplius ex hoc titulo colligatur.

1) a Grasbergero (Erzieh. u. Unterr. im kl. Alt. 3, 312) ad priorum imperatorum tempora relatus.

2) v. 3. *πάντες οἱ ἐλεύθεροι παῖδες.* cf. v. 62 sq.

διδασκάλοις soli, quod vel per se patet, pueri et puellae instituebantur, ita quidem ut tres classes (*τὸ πρῶτον, δεύτερον, τρίτον ἔργον*) efficerent, quarum summa erat *τὸ πρῶτον ἔργον*, infima *τὸ τρίτον*. Deinde duo *παιδοτρίβαι* ad solos pueros pertinuisse videntur. Sequitur *κιθαριστὴς ἢ ψάλτης*, qui erudire jubetur *τούς τε παῖδας οὓς ἂν καθήκῃ εἰς τοὐπιὸν ἐκκρίνεσθαι* (ergo natu grandiores) *καὶ τοὺς τούτων ἐνιαυτῷ νεωτέρους τά τε μουσικὰ καὶ κιθαρίζειν ἢ ψάλλειν, τοὺς δὲ ἐφήβους τὰ μουσικά.* Iidem pueri et ephebi instituuntur ab *ὁπλομάχῳ καὶ τῷ διδάξοντι τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν.* Videmus igitur musicis artibus et armorum exercitationibus solos majores pueros et ephebos esse instructos.

Magistri erant annui (v. 7), nisi quod hoplomachus non infra duos menses discipulos instruere jubetur (v. 27). Mercedem iis datam esse consentaneum est atque adeo mensium intercalarium ratio habebatur (v. 20—21). Jam e magitudine pretii dignitatem magistrorum haud dubie licet judicare. Accipiebant autem artis musicae magister 700 drachmas, grammatodidascali primus 600, alter 550, tertius 500, paedotribarum uterque 500, hoplomachus 300, sagittas et jacula mittendi magister 250. Hoc ex catalogo manifesto apparet musicas artes a Teiis plurimi aestimatas esse, minoris gymnicas, quae res ex eo quoque sequitur, quod duo illi armorum exercitationis magistri non a populo creantur, sed a praefectis ludi conducuntur (v. 22). Magistri si officia sua neglegunt, pecunia sunt multandi, quam multam adeo per vim exigere licet (v. 36 sq.).

Praefecti autem ludi erant gymnasiarchus et paedonomus, de quibus cum jam supra disseruim, hoc loco tacere mihi liceat.

Ad institutionis puerorum successum probandum haud dubie etiam ludi quidam sunt referendi, qui lege agonistica (C. J. Gr. 3060) instituuntur, quoniam *παῖδες* et *μαθήματα* in ea commemorantur (v. 3. 10). Imprimis autem victorum catalogo 3088 ratio *ἀποδείξεων* illustratur. Quae tres classes ibi distinguuntur: *πρεσβυτέρα, μέση, νεωτέρα ἡλικία*, haud dubie similes sunt iis, in quas supra pueros divisos vidimus, quamquam neque easdem neque omnino puerorum eas fuisse ex ipsis, quas discunt, artibus apparet. Quod autem Boeckhius

dubitat, utrum *νέοι ἔφηβοι παῖδες* an *ἔφηβοι πρεσβύτεροι μέσοι νεώτεροι* sint intellegendi, hoc quam illud multo aptius mihi videtur, praesertim cum Chii quoque eadem reperiatur divisio (C. J. Gr. 2214). Disciplinarum autem, quarum peritiam ephebi ostentabant, haec servata sunt nomina, de quorum significatione videas Boeckhium: in majorum classe *ὑποβολῆς ἀνταπόδοσις, ἀνάγνωσις*; in mediorum *ὑποβολὴ, ἀνάγνωσις, πολυμαθία, ζωγραφία*; in minorum *ὑποβολὴ, ἀνάγνωσις, καλλιγραφία, λαμπὰς, ψαλμὸς, κιθαρισμὸς, κιθαρῳδία, ῥυθμογραφία, κωμῳδία, τραγῳδία, μελογραφία.* Vides quam variis rebus Teia juventus sit instituta et quantopere hic quoque musicae artes praevaleant.

Quod vero Lüdersius[3]) censet hoc ipso victorum catalogo nisus Tei ludum quendam („Erziehungsanstalt“) artificum Dionysiacorum exstitisse, in quo pueri et adulescentes ad artem scaenicam sint exculti, id non verum mihi videtur. Nam primum quantae curae eruditio juvenilis fuerit reipublicae Teiorum, cum ex iis, quae supra diximus, appareat, illum victorum catalogum ad publicum ludum pertinere verisimile est. Praeterea ejusmodi scaenicorum scholarum nusquam alibi quicquam invenimus. Postremo autem, id quod est gravissimum, Lüdersius quod ad sententiam suam probandam dicit: „die Übungen schlagen alle in das musikalischdramatische Gebiet ein,“ non accurate titulum perlustrasse mihi videtur. An etiam *ζωγραφίαν* et *καλλιγραφίαν* ad eas disciplinas referre velit? Sed hoc concesso unum vocabulum *λαμπὰς* Lüdersium de sententia sua abducere debuerat. Nam quid tali *λαμπαδηδρομίᾳ* commune est cum histrionibus? cum ad publicam puerorum institutionem optime conveniat. Quare ista sententia, quamvis sit acute inventa, a vero aberrare mihi videtur.

Denique quantum diligenti educationi Teii tribuerint, e duobus titulis satis memorabilibus plane apparet.[4]) Menecles enim, alter e Teiorum legatis ad Cretensium civitates asyli causa missis, collaudatur a Cnosiis et a Priansiis, quod *ἐπε-*

---

3) dionys. Künstl. p. 135—139, contra quem dicit Hirschfeldius p. 25, n. 17.

4) Leb. 81 = C. J. Gr. 3053; Leb. 82.

δείξατο μετὰ κιθάρας πλειονάκις τά τε Τιμοθέω καὶ Πολυίδω καὶ τῶν ἁμῶν ἀρχαίων ποιητᾶν καλῶς καὶ ὡς προςῆκεν ἀνδρὶ πεπαιδευμένῳ, et a Priansiis praeterea additur: *εἰςένεγκε δὲ κύκλον ἱστορημέναν ὑπὲρ Κρήτας καὶ τῶν ἐν Κρήτᾳ γεγονότων θεῶν τε καὶ ἡρώων, ποιησάμενος τὰν συναγωγὰν ἐκ πολλῶν ποιητᾶν καὶ ἱστοριογράφων.* Unde duo potissimum licet colligere, primum, id quod supra identidem diximus, quantopere musicae artes floruerint in Teiorum ludis; deinde quam diligenter veteres poëtas et historicos vel mythicos coluerint, atque haud scio an illa *πολυμαθία*, quae disciplina in titulo 3088 reperitur, huc potissimum sit referenda. Neque autem video, cur iste legatus in musica arte tam eruditus cum Lüdersio [5]) artifex Dionysiacus sit habendus. Quamquam quod Hirschfeldius contra illum affert a Cnosiis scriptum esse *ὡς προςῆκεν ἀνδρὶ πεπαιδευμένῳ*, id nullius momenti mihi esse videtur, quoniam ea verba non a Teiis, sed a Cretensibus dicta sunt.

Jam hoc loco addenda mihi videntur pauca de puerorum et epheborum similibusque collegiis. Nam etiam pueros collegium quoddam effecisse et inde apparet, quod coronae honorem tribuunt (C. J. Gr. 3086), et ex eo vel magis elucet, quod suum habent sacerdotem (C. J. Gr. 3062). Quod collegium maxime spectasse ad puerorum disciplinam ut titulis supra allatis [6]) demonstratur, ita non minus ad caerimonias quasdam illud adhibitum esse e titulo Leb. 88 apparet, ubi die festo Apollonidi dedicato *οἱ ἐλεύθεροι παῖδες παραβώμιον* cantare jubentur. [7]) Rectos esse pueros a paedonomo jam supra commemoravimus.

Adulti pueri in epheborum collegium recipiebantur, quod et ipsum maxima ex parte ad institutionem pertinuisse ex iis, quae supra diximus, apparet. [8]) Divisos esse ephebos in tres aetates iisque praefuisse ephebarchum item a nobis jam est

---

5) l. l. p. 85; similis Foucarti de coll. scen. art. p. 67 sententia videtur.

6) bull. 4, p. 110; C. J. Gr. 3060, 3.

7) cf. C. J. Gr. 3062.

8) cf. Collignon de coll. eph.; Menad. p. 18—19.

prolatum. Praeterea comperimus interfuisse eos caerimoniis (C. J. Gr. 3062) et saepissime coronae honorem tribuisse.[9])

Ephebi rursus tempore suo exacto *νέων* collegii fiebant socii, cui rem gymnicam maximae curae fuisse Menaderius[10]) mihi quidem probavit, etsi in Teiis titulis tantummodo occurrunt coronantes.[11]) *Νέους* et *ἐφήβους* artius inter se cohaesisse ex eo collegerim, quod saepius conjuncti reperiuntur.[12])

Denique ii, qui *νέους* aetate superabant, duo collegia effecisse videntur, alterum eorum, qui gymnicis exercitationibus intererant, alterum eorum, qui iis non utebantur. Hinc *οἱ μετέχοντες τοῦ γυμνασίου* (C. J. Gr. 3085) et *ἀπάλεστροι* (3086) coronantes reperiuntur. Aliter enim haec vocabula explicari vix possunt, quoniam *οἱ ἔφηβοι καὶ οἱ νέοι καὶ οἱ μετέχοντες τοῦ γυμνασίου* conjuncti occurrunt. Homines autem aetate provectos non omnes artem gymnicam exercuisse satis est perspicuum.

Habemus igitur Tei collegia *παίδων, ἐφήβων, νέων, μετεχόντων τοῦ γυμνασίου, ἀπαλέστρων*, quae omnia vel ad institutionem juvenilem vel ad gymnicam exercitationem spectabant, ita ut infantibus et senibus exceptis unusquisque alicujus collegii esset socius. Jam cum in aliis ejus regionis civitatibus soli *παῖδες, ἔφηβοι, νέοι* reperiantur, licet intellegere, quantam operam Teii corporum dederint exercitationi. Ceterum de singularum aetatum spatiis nil compertum habemus, nisi quod epheborum aetas tres annos comprehendisse videtur (propter tres classes), fortasse a duodevicesimo usque ad vicesimum vitae annum pertinens.

9) C. J. Gr. 3079. 3085. 3086. 3098. 3101. 3112. Leb. 1558.

10) p. 19—21.

11) C. J. Gr. 3079. 3085. 3086. 3098. 3101. 3112. bull. de corr. hell. 4, p. 179.

12) C. J. Gr. 3085. 3086. 3101. 3112.

Cap. III. De rebus Teiorum sacris.

§ 14. De sacerdotibus et thiasis.

Priusquam ad singulos deos Tei cultos imprimisque Bacchum accedam, non alienum censeo pauca, quae ad universos spectant, praefari et primum quidem de sacerdotibus nonnulla colligere. Ut enim civilium magistratuum collegia, ita sacerdotum quoque vocabantur *συναρχίαι* (Leb. 88, v. 7), quare *συναρχίαι ἱεραὶ* et *δημόσιαι* distinguebantur.[1]) Quorum collegiorum nobilissimum *ἱεροποιοὶ* fuisse videntur,[2]) quos similiter atque Athenis publica sacra curavisse patet. De aliis sacerdotum collegiis nil compertum habemus, nisi quis *ἱερατείας παρθένους*[3]) huc referre velit, quas equidem non certas quasdam, sed omnes virgines cum sacris conjunctas intellegere malim in sodalitatem quandam congregatas.

Praeterea singuli tantummodo sacerdotes Tei reperiuntur neque est veri dissimile unicuique numini suum fuisse sacerdotem, id quod de Baccho diserte confirmatur.[4]) De sacerdotibus Eumenis ejusque matris et uxoris cf. supra § 5, n. 18. 19. Puerorum collegium suum habuisse sacerdotem jam supra e titulo comperimus (C. J. Gr. 3062 = Leb. 90). Atque haud scio an in eodem titulo (v. 10) non tam (*τῶν ἐ*)*φήβων* quam (*τοῦ ἱερέως τῶν ἐ*)*φήβων* cum Röhlio[5]) sit supplendum; nam statim sequuntur verba *καὶ τοῦ ἱερέως τῶν παίδων*, atque omnino Waddingtonius nimis parvas lacunas ibi statuisse videtur.

Prytanem inferioribus temporibus tantummodo sacerdotis munere functum esse jam supra diximus; sed quale hoc fuerit sacerdotium, nescimus, nisi quod sacra ei curae fuisse e titulo Leb. 88 apparet; neque *παραπρυτάνεις* magis sunt noti. Summum omnium sacerdotum eorumque quasi praefectum *ἀρχιερέα*[6])

1) siquidem Waddingtonius v. 2 recte supplevit.

2) l. l. *τοὺς ἱεροποιοὺς καὶ τὰς ἄλλας συναρχίας.*

3) C. J. Gr. 3098. coronam tribuunt.

4) *ἱερεὺς θεοῦ Διονύσου* C. J. Gr. 3062 = Leb. 90 ejusque uxor, opinor, *ἱέρεια τοῦ τῆς πόλεως θεοῦ Διονύσου* C. J. Gr. 3092.

5) Beitr. z. griech. Epigr. p. 26.

6) Leb. 96/7. 1561.

fuisse est consentaneum, sed ne de hujus quidem muneribus docemur; *ἀρχιέρειαν* (C. J. Gr. 3063) ejus uxorem fuisse crediderim.

Denique sacerdotium ab eodem saepius geri potuisse inde apparet, quod in titulo Leb. 96/7 occurrit aliquis *ἀρχιερατεύων τὸ β*.

Jam hoc loco non ineptum mihi videtur de thiasis Teiis pauca facere verba. Est autem notum ea fuisse sacra privatorum collegia certi cujusdam numinis cultui addicta, quae statis temporibus dies festos et sollemnia celebrabant.[7]) Ac Tei quidem non pauci exstiterunt thiasi, quorum duas classes velim distinguere, quae de praeside et quae de deo suo erant denominatae. Illius classis sunt: *ὁ θίασος ὁ Σιμαλίωνος* (bull. de corr. hell. 4, p. 164), *ὁ θίασος ὁ Ἀναξιπόλιδος* (p. 175. 176), *ὀργεῶνες οἱ σὺν Ἀθηνοδότῳ Μητροδώρου, μύσται οἱ σὺν Ἀθηνοδότῳ Μητροδώρου* (p. 164). Alteri classi haec collegia sunt tribuenda: *Σαμοθρακιασταὶ οἱ σὺν Ἀθηνοδότῳ Μητροδώρου* (p. 164), *τὸ κοινὸν τῶν Παναθηναιστῶν, τὸ κοινὸν τῶν Διονυσιαστῶν* (C. J. Gr. 3073), *οἱ τοῦ Σητανείου θεοῦ Διονύσου μύσται* (Leb. 106). Samothraciastae haud dubie Cabiros colebant, Panathenaistae autem quaedam Panathenaea a metropoli Athenis assumpta celebraverint. Jam omnes thiasi in majorem quandam sodalitatem congregati esse videntur, cum aliquoties *οἱ θίασοι πάντες* occurrant (C. J. Gr. 3101. 3112); ac valde est notabile, quod tria collegia eundem habent praesidem (Athenodotum Metrodori). Addo quod ubique aut coronam tribuentes aut statuam erigentes thiasi inveniuntur. Denique haud dubie Attalistae in thiasorum numero sunt habendi, sed de iis postea videbimus.[8])

§ 15. De diis deabusque praeter Bacchum Tei cultis.

Ut incipiam a summo Graecorum deo, jam in vetustis illis diris dies festus Jovi dedicatus (*Δῖα*) reperitur (C. J. Gr.

7) cf. imprimis Foucart des associations religieuses chez les Grecs.

8) Fortasse etiam *ἀρχισυνάγωγος* (bull. p. 181) ejusmodi collegii praeses erat (cf. C. J. Gr. add. 2007 f. add. 2221 c), nisi forte praefectus synagogae Judaïcae est intellegendus (cf. C. J. Gr. 9894 b. 9906).

3044, 34) ejusque cultum non levem fuisse inde apparet, quod ipsae dirae Diis quoque pronuntiari jubentur. Praeterea arae cuidam e Romanorum temporibus servatae praeter alia *Διὸς Κτησίου* nomen est incisum (C. J. Gr. 3074); quamquam hinc quidem de publico ejus cultu vix quicquam licet concludere (v. Boeckh. in ann.).

Minervae cultum praeter Panathenaistas, quos supra attuli, nummi non pauci testantur, qui caput ejus vel comitem noctuam exhibent (Mionn. 3, 258, 9). Jam quod Abderis Minerva *Ἐπιπυργῖτις* colebatur (Hes. s. v. *Ἐπ.*), in metropoli quoque hoc nomine eam appellatam esse verisimile est (cf. Gerhard griech. Myth. § 250, n. 5 c); quantam vero vim turres Teiae habuerint, supra vidimus.

In Apollinis templo lex agonistica (C. J. Gr. 3060) collocatur unde jam supra conclusi ludos ea lege decretos Apollini ipsi esse dedicatos (cf. § 8). Praeterea in nummis identidem Apollinis et Dianae capita inveniuntur nec non lyra, insigne illius. Deinde Eckhelius (D. N. 2, 563) recte suspicari mihi videtur gryphum saepissime in Teiis nummis occurrentem ad Apollinis cultum esse referendum, cujus comes ille saepius fuerit, praesertim cum Teiis gryphus interdum cum lyra sit conjunctus. Quamquam huic quidem argumento minus tribuerim, quoniam multo saepius cum Bacchi attributis conjunctus gryphus reperitur. Denique *Ἀπόλλωνι Κουρέῳ* [1]) a symmoriis Pollidarum et Thaeniadarum fanum dicatum erat (bull. 4, p. 168. cf. supra § 7. n. 6).

Quod Thesmophoria itaque Cereris cultum apud Teios fuisse ex Abderitarum Thesmophoriis Hermannus (Antiq. sacr. § 66, n. 8) conclusit, id confirmatur nummis spicas exhibentibus (Mionn. suppl. 6, 379).

Neptuno Heliconio, veteri illi Jonum deo, etiam Tei fanum et aram praeclaram consecratam esse Pausanias (7, 24, 5) tradit. Huc accedunt nummi aliquot capite Neptuni ornati.

Venimus ad Mercurium Herculemque et Musas, quorum

---

1) i. e. juvenili, quod cognomen nusquam alibi reperitur; sed cf. Apollinem *Κουρίδιον* (Gerhard griech. Myth. § 310, n. 3 a).

satis excellens cultus apud Teios quodam modo conjunctus fuisse videtur, ea de causa, opinor, quod gymnicis et musicis artibus illi praeerant (cf. C. J. Gr. 3123, quo in epigrammate item Hercules et Musae reperiuntur). Hinc illa pecunia ad pueros instituendos destinata iis conjunctis consecrata erat (bull. de corr. hell. p. 115, v. 58 = C. J. Gr. 3059, v. 22). Hinc ludi Mercurio Herculique dicati in titulo 3087 reperiuntur, ubi Röhlius[2]) haud dubie recte restituit *ἐν τοῖς Ἑρμαίοις (Ἡρακ)λέοις.*[3]) Ceterum *Ἡράκλεια* jam in diris occurrunt,[4]) et haud scio an eadem festa posteriore tempore insuper Mercurio sint consecrata. Sed certi affirmari hac de re nil potest. Praeterea aedes Herculis in titulo Leb. 87 commemoratur ejusque caput saepius in nummis reperitur.[5]) Deinde quod in epigrammate (C. J. Gr. 3123) quidam *Μουσῶν κληδοῦχος* vocatur, cum Welckero[6]) ita acceperim, ut illum musicis artibus deditum non proprie sic nominatum esse credam. Ceterum vel ex illorum numinum cultu Teiorum amor artium et musicarum et gymnicarum apparet.

Ad Leucotheae cultum haud dubie sunt referenda *Λευκάθεα,* quae festa in symmoriae Echini decreto reperiuntur (C. J. Gr. 3066, 25). Erat autem Ino-Leucothea uxor Athamantis, cujus progeniem Athamantem Teum condidisse supra narravimus. Nec vero cum Boeckhio (ad l. l.) et Grotio (2, p. 146, n. 34) gentilicia tantum Echinadarum sollemnia Leucathea intellexerim, id quod jam C. Fr. Hermannus (in act. soc. Gött. 2, 108) recte improbavit. Ceterum idem dies festus Lampsaci fuisse videtur, ubi mensem *Λευκαθιῶνα* reperimus (C. J. Gr. 2, add. 3641 b, 17).

---

2) p. 9. quamquam cetera ejus supplementa non probo.

3) quod Boeckhius supplet *ἐν τοῖς Ἑρμαίοις (τοῖς ν)έοις* i. e. in Hermaeis a *νέοις* celebratis, id fieri non posse vix est quod moneam; praeterea litterae *λεοις* sunt servatae.

4) C. J. Gr. 3044, 33. dirae ipsis quoque Heracleis sunt pronuntiandae, unde licet colligere, quantum Herculis cultus apud Teios valuerit.

5) huc etiam clava nummis incisa est referenda (Mionn. 3, 258).

6) in Welck. et Näk. Mus. Rhen. 4, 414; aliter Boeckhius in explicatione. Ceterum epigramma a Kaibelio (epigr. Gr. n. 226) haud dubie rectius restitutum est quam a Boeckhio et Welckero.

Aesculapium a Teiis cultum esse compluribus nummis demonstratur.

Serapidis quoque cultum a Teiis receptum esse item docent nummi.

Postremo liceat mihi adicere, quod etiam in insulam Samothracen ad mysteria Cabirorum celebranda theoros tres Teii mittebant (Conze Reise auf d. Ins. d. thrak. M. 65, 67), sicuti in ipsa Teo thiasum *Σαμοθρακιαστῶν* supra cognovimus.

§ 16. De Bacchi cultu.

Omnium deorum quotquot erant maxime a Teiis colebatur Bacchus, id quod innumeris paene testimoniis potest demonstrari. Bacchus habebatur auctor et dux civitatis, unde nominabatur *ἀρχηγέτης τῆς πόλεως* (Leb. 75. 76. 80), *καθηγεμών*,[1]) *ὁ προεστὼς τῆς πόλεως θεός* (C. J. Gr. 3108), *ὁ τῆς πόλεως θεός* (3092).[2]). In nummis omnibus fere Teiis reperitur vel Bacchus ipse vel comites ejus, Silenus, Satyri, Bacchae, vel attributa, ut uva, hederae corona vel folium, thyrsus, cantharus, diota, cista mystica etc. Quid quod natum esse deum in sua urbe Teii praedicabant?[3])

Antiquissima sollemnia Baccho Teio consecrata Anthesteria fuisse videntur, quippe quae praeter Heraclea et Dia ad dirarum veterum pronuntiationem destinentur (C. J. Gr. 3044, 32): ubi cum ante reliqua duo festa nominentur, simul apparet summa omnium auctoritate Bacchi fuisse sollemnia.

Posterioribus autem temporibus Anthesteriis multo insigniora Dionysia fuisse ex eo collegerim, quod in recentioribus titulis haec sola reperiuntur (C. J. Gr. 3067, v. 28. Leb. 92).[4])

---

1) artificium Dionysiacorum parti nomen erat *οἱ περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον τεχνῖται* (C. J. Gr. 3067. 3068 A. Leb. 281). cf. bull. de corr. hell. 4, p. 170 *τῷ καθηγεμόνι θεῷ Διονύσῳ*.

2) Quod vero Lüdersius (dion. Künstl. p. 75) affert in titulo C. J. Gr. 3045 simpliciter dici deum pro Baccho, nullius est momenti; quid enim hoc mirum in decreto, quo Teiis asyli Bacchi confirmationem petentibus senatus Romanus obsequitur?

3) Diod. 3, 66.

4) Haud dubie etiam 3089 et 3090 huc sunt referendi.

Fuerit igitur similis ratio atque Athenis, ubi magna Dionysia, quamquam multo post Anthesteria sunt instituta, tamen longe iis praestitisse satis constat. Etiam singula sollemnia Atticis plane similia fuisse videntur. Nam ut de ludis scaenicis taceam, quos titulus Leb. 92 praebet, illam pompam, quae 3067, 23—24[5]) commemoratur, ad Dionysia referendam esse verisimillimum est; praeterea recte Boeckhius in titulum 3089, 4 *κῶμον* mentionem inseruisse videtur; denique ibidem (3089) et 3090 *πυρρίχη* et *παῖδες αὐληταὶ* et *αὐληταὶ ἄνδρες* commemorantur. Quibuscum compara legis verba in Demosthenis Midiana (15): *τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί;* et invenies plane eadem in utraque urbe fuisse sollemnia. Quod vero Welckerus[6]) censet in duobus fragmentis Anacreontis (55. 131) Teia significari Bacchi sollemnia, id valde incertum videtur, siquidem Bergkius alterum saltem carmen (55) Sami scriptum ideoque ad Samia festa referendum esse censet.

Denique Romanorum temporibus reperiuntur *οἱ πενταετηρικοὶ ἀγῶνες Διονυσιακοὶ Καισάρηοι* (C. J. Gr. 3082). Sed utrum plane novi ludi ii fuerint an vetera Dionysia quinto quoque anno simul in alicujus Caesaris honorem sint celebrata, dijudicare non possumus, quamquam illud verisimilius mihi est.

Nobilissimum vero testimonium Bacchi cultus est Dionysium, praeclarum ejus templum, quod Welckerus[7]) suspicatur Alexandri Magni temporibus esse exstructum, Hirschfeldius minus recte inter annos 200 et 190 (aut saltem post 250) collocare mihi videtur.[8]) De forma aedis et sculpturis ad Hirschfeldium librosque ab eo citatos delegans, hoc loco ea sola afferam, quae Vitruvius (3, 2, 8. 7, praef. 12) tradit, aedificatum esse templum ab Hermogene in Jonico structurae genere

---

5) siquidem Boeckhius recte supplevit: *ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ἂν ἡ πομπὴ γίνηται.*

6) griech. Trag. p. 1303.

7) l. l. probante Lüdersio dion. Künstl. p. 75.

8) p. 29—30. Nam quod ille renovatam asyli confirmationem anni 193 cum aedis confectione conjungit, id minime est probabile. Neque plus tribuerim titulo dedicatorio ab Hirschfeldio allato.

et fuisse monopteron i. e. peripteron et hexastylon. In titulis identidem commemoratur, et primum quidem multa decreta in eo collocabantur, ut C. J. Gr. 3061 et 3062, atque etiam omnia asyli decreta in eo esse posita, id quod semel diserte indicatur (Leb. 75), res ipsa docet. Praeterea imagines hominum saepius honoris causa in Dionysio collocabantur (C. J. Gr. 3068 B, 27—28). Num vero in titulum 3082 aedis Bacchi mentionem Boeckhius recte inseruerit, valde dubium mihi videtur, quoniam in templo aliquem coronari minime est probabile; theatri potius vocabulum supplendum esse crediderim. Denique quibusdam sollemnibus apertam et clausam esse aedem titulo 3062 docemur.

Templum Bacchi sive Bacchum ipsum suos habuisse reditus cum per se pateat, tum duobus testimoniis confirmatur. Nam caerimoniae quaedam apparantur dei sumptibus (Leb. 90) et poenae sepulcrales Baccho addicuntur (C. J. Gr. 3108).

De sacerdotibus et mare et femina nec non de thiasis Bacchi cultui deditis jam supra diximus.

Qnoniam singulas res ad Bacchi cultum pertinentes satis jejune enumeravi, jam de origine et causis ejus pauca verba facienda existimo. Nam si consideramus ab Orchomeniis potissimum et Atheniensibus Teum esse conditam, cum in utraque harum urbium ab antiquissimis temporibus Bacchum celebratum esse constet, intellegitur potuisse ab utraque ejus cultum Teum traduci. Sed quia Orchomeni fera illa et saeva Agrionia trieterica Baccho agebantur,[9]) Tei autem talium sollemnium ne reliquias quidem reperimus, propterea Orchomeno Teium Bacchi cultum traductum esse non probabile mihi est. Videtur potius hic ad mitius illud et humanius genus pertinuisse, quale apud Athenienses fuisse nemo nescit; quo accedit dies festus Anthesteriorum, quae sine dubio ex Athenis sunt oriunda.[10]) Ergo pro certo potest haberi Atticos colonos Bacchi cultum Teum

9) cf. Schömann Ant. publ. Gr. 2, 500; Preller Mythol. Gr. 1, 540; alios.

10) hinc apparent Anthesteria in aliis quoque Jonicis coloniis, ut Smyrnae, Branchidis (C. J. Gr. 2, add. 2883 c), Cyzici (3655), Massiliae (Justin. 43, 4, 6; cf. Hermann ant. Gr. sacr. § 68, n. 40).

transtulisse, sicut postea Atheniensibus, opinor, auctoribus Dionysia summum locum Tei quoque obtinuerunt, quo tempore foederis Attici Teii erant socii.

Quomodo autem fieri potuerit, ut iste cultus Tei tantopere effloresceret, perfacile intellegimus, si reputamus, quam vini ferax illa regio fuerit. *Οἰνηρά* Anacreontis patria ab Hermesianacte[11]) appellatur; quinque milia vasorum vini Romanis Teii praebere potuerunt (Liv. 37, 27—28). Maxime autem agri fertilitas eo significari mihi videtur, quod Teii fingebant statis temporibus in urbe fontem vini eximie odorati sua sponte e terra emanare, quo ipso argumento usi Bacchum apud se natum esse gloriabantur (Diod. 3, 66). Addo quod pocula Teia jam ab Alcaeo celebrabantur.[12]) Denique vel ex Anacreontis carminibus apparet, quantopere vitium cultura apud Teios floruerit. Quae omnia si animo comprehenderimus, non mirabimur praeter ceteros deos Bacchum a Teiis esse cultum.

Cum Baccho haud scio an quodam modo conjunctus fuerit Musarum cultus, quas Teios veneratos esse supra vidimus. Quod ut credam, cum eo adducor, quod saepissime Musae Bacchi sunt comites, tum imprimis eo, quod in zophoro Dionysii, in quo thiasus Bacchi est effictus, etiam Musae occurrunt (Hirschfeldius p. 28).

Restat ut tria verba faciam de eo Baccho, qui nominabatur *ὁ Σητάνειος θεὸς Διόνυσος*, quem colebant mystae supra allati. Ac *σητανείου* quidem vocabulum imprimis conjunctum cum vocibus *ἀλεύρου, ἄρτου, πυροῦ* et similibus haud dubie de adverbio *σῆτες, τῆτες* = „hoc anno“ est derivandum, ut notionem „horni“ significet.[13]) Quare potest fieri, ut ab illo thiaso cultus sit hornus deus Bacchus, i. e. horni vini deus. Sed equidem malim Bacchi *Σητανείου* originem petere ex Aegypto, ubi thiasus quidam reperitur: *οἱ συνάγοντες ἐν Σήτει, τῇ τοῦ Διονύσου νήσῳ, βασιλισταί* (C. J. Gr. 4893). Ab hac insula ipse deus

---

11) apud. Athen. 13, 598 C.

12) apud Athen. 11, 481 A.

13) alii derivant a verbo *σήθειν* = „cribrare,“ minus recte, quoniam etiam *σητάνεια μῆλα, σ. μεσπίλη* reperiuntur.

poterat nominari *Σητάνειος* ejusque cultus, ut saepissime factum est, ab Aegypto in alias terras transferri (cf. supra Serapidem). Etsi certi quid hac de re vix audeo affirmare.

§ 17. De asylo Teio.

Jis, quae adhuc de Bacchi Teii cultu exposui, facile explicatur, qui fieri potuerit, ut illi ipsi sanctitatem et asyliam Teos deberet. Qua de re cum nunc sit dicendum, rem ita instituam, ut primum de historia asyli proferam, quantum comperire licet, deinde de ejus genere et origine paucis verbis agam.

Habemus autem lapidibus servata undetriginta aut integra aut corrupta decreta multarum civitatum, quibus Teiis petentibus jus asyli confirmatur.[1]) Quorum duae classes sunt distinguendae non mediocri temporis intervallo sejunctae: ac prioris quidem classis sunt decreta Romanorum (60), Aetolorum (85), Athamanum (83), Delphorum (84), multarum Cretae urbium (61—74. 68 a—c), posterioris nonnullorum Cretensium partim eorundem partim aliorum (75—78. 80—82). Quod ita se habere statim apparebit. Nomina autem civitatum Cretensium haec sunt: 1. Cnosus, Polyrrhenus, Rhaucus, Cydonia, Vaxus, Sybrita, Latus, Lappa, Apollonia, Istron, Eleutherna, Arcades, Allaria, Latus ad Camaram, Hierapytna, Aptera, Biannus. 2. Aptera, Erannus, Biannus, Palla, Arcades, (Cnosus, Priansus). Legatos miserant Teii in Cretam primum Apollodotum et Colotam, iterum Herodotum et Meneclem, in continentem Graeciae Pythagoram et Clitum, ad Romanos denique Menippo, Antiochi regis legato, mandata sua commiserant. Praeterea incertae civitatis decreti praescripta sunt servata,[2]) quae Waddingtonius ad Cnidum vel aliam Doricam coloniam referenda censet: sed valde incertum id videtur.

1) Leb. 60—85. 68 a—c. nonnulli, sed plerumque corruptiores jam C. J. Gr. 3045—3058. Ceterum 81 et 82 non ad ipsum asylum spectant, sed legatorum Teiorum collaudationem continent.

2) Leb. 79. *ἐψαφίσθη ἐπὶ δαμιουργοῦ Φίλωνος, μηνὸς Ἀρταμιτίου νευμενίᾳ* = C. J. Gr. 3052 init., sed cum Waddingtonio a sequenti decreto sejungenda.

Jam temporis ratio accuratissime potest definiri, ut jam Boeckhius et Waddingtonius recte fecerunt. Et Romanorum quidem decretum anno 193 a. Chr. est tribuendum, quo anno et Menippus, cum Hegesianacte princeps Antiochi legationis, Romae versabatur et M. Valerius, cujus nomen decreto est praescriptum, praetor peregrinus erat.[3])

Reliqua prioris classis decreta ad idem tempus esse referenda cum per se verisimile sit, tum idoneis argumentis potest confirmari. Aetolorum enim decretum post 189, quo anno a Romanis subjecti sunt, factum esse non potest, Athamanum autem non inter annos 191—189, quo tempore rex Amynander in decreto commemoratus exulabat (Liv. 36, 14. 38, 1—3). Atqui cum utrumque decretum (nec non Delphicum) in idem tempus incidat — nam iidem sunt legati —, ante 191 ea sunt ponenda. Sed quoniam Aetolorum strategus in decreto Alexander nominatur, annis autem 192—1 et 193—2 alios strategos fuisse scimus, haud dubie recte Waddingtonius, quia Romanorum quoque deeretum in annum 193 incidat, conclusit Alexandrum anno 194—3 fuisse strategum. Ergo tria illa decreta eidem cui Romanorum anno sunt tribuendà.

Ad idem tempus denique adducimur Cretensium decretis, in quorum uno (Eleuthernaeorum Leb. 71) commemoratur Agesander Rhodius *ὁ παρὰ τῶ βασιλέως Ἀντιόχω πρεσβευτὰς ἐπὶ τὰς τῶ πολέμω διαλύσεις ἀποσταλείς.*[4]) Quoniam haud dubie bellum inter Eleuthernaeos et vicinos intellegendum est, quod ut componeretur Antiochi intererat, cum Boeckhio et Waddingtonio de eo tempore cogitandum est, quo Antiochus contra Romanos bellum parabat, i. e. paulo ante 192. Atqui cum in omnibus Cretensium decretis prioris ordinis iidem legati occurrant, ad idem tempus omnia sunt referenda.

Teneamus igitur priorem decretorum classem anno 193 esse tribuendam. Minus accurate posterioris tempus potest definiri; id constat, quoniam in iis commemoratur *τὸ δόγμα τὸ πρότερον γραφὲν ὑπὸ τῶν προγόνων* vel simile quid,[5]) saltem una,

---

3) Liv. 34, 54. 55. 57.

4) idem occurrit Leb. 63. 68.

5) 76. 77. 78; 75. 80.

probabiliter autem pluribus hominum aetatibus alterum ordinem altero inferiorem esse. Itaque equidem non ante annum 150 posteriorem collocaverim.

Sed de causa horum decretorum nunc est quaerendum. Ac jam ante annum 193 Teum asylum fuisse in Romanorum decreto[6]) diserte declaratur. Tamen eas civitates, quarum priora sunt decreta, omnes tunc primum asyli jus agnovisse ex ipsis verbis certissime apparet, nisi quod Aetoli jam prius alia quae beneficia Teiis decreverant.[7]) Est igitur verisimile vel paene certum aliquo bello vel turbis cuicuimodi vetus asyli jus esse violatum, qua re commoti Teii oraculis Delphico et Didymaeo consultis[8]) ab illis civitatibus privilegii sui petierunt confirmationem. Quod Hirschfeldius (p. 29—30) confirmationem asyli cum Dionysii confectione censet cohaerere, id parum videtur verisimile. Ceterum accuratius illam causam definiri non posse consentaneum est, etsi fortasse de Gallorum rapinis licet cogitare.[9])

Ac valde notabile est omnes illas civitates, quarum decreta sunt servata, tales esse, quales a Teiis potuerunt timeri. Cretenses propter piraticam totum per orbem erant infames, Aetoli quanta importunitate et inimicos et amicos diripuerint satis est notum,[10]) Athamanes non minus bellicosi et feroces erant, Romanos denique a Teiis metuendos fuisse vix opus est commemorare. Atqui cum mirum sit ejusmodi tantummodo civitatum tot decreta exstrare, interdum etiam bina, non possum quin credam Teios ab iis solis urbibus populisque, qui sibi perniciosi viderentur, asyli confirmationem petiisse. At Del-

---

6) Leb. 60. *κρίνομεν εἶναι τὴν πόλιν καὶ τὴγ χώραν ἱερὰν, καθὼς καὶ νῦν ἐστιν.*

7) Leb. 85. *τὰ ψαφίσματα τὰ πρότερον γεγονότα αὐτοῖς περὶ πάντων τῶν φιλανθρώπων κατάμονα εἶμεν.* Aetolos quoque tunc primum asyliam agnovisse apparet e verbis quae sunt: *ἐπεὶ Τήιοι παρεκάλεον τοὺς Αἰτωλοὺς, ὅπως τάν τε πόλιν αὐτῶν καὶ τὰν χώραν ἐπιχωρήσωντι ἱερὰν εἶμεν καὶ ἄσυλον τοῦ Διονύσου κτλ.*

8) Leb. 78.

9) Gallos anno 276 Hellespontum transgressos Asiam minorem, dum a Romanis anno 187 victi sunt, praedationibus vexasse satis est notum.

10) cf. imprimis Polyb. 17, 4—5.

phorum decretum huic sententiae non convenit. Sed hoc ita explicandum videtur, ut Teii, quoniam oraculum Delphicum hac de re consuluerant, etiam a civitate Delphorum idem petere quasi debuisse statuantur. Quae cum ita sint, ne Eggeri[11]) quidem sententia tenenda mihi videtur censentis Romanorum decretum principale fuisse, cui cetera quasi appendicum loco sint adjuncta, cui sententiae non minus id repugnat, quod Teii eo tempore non sub Romanorum, sed sub Antiochi erant potestate.

Cretenses autem tantopere periculosi Teiis visi sunt, ut aliquanto post iterum legatos ad eos sive omnes sive partem mitterent petituros, ut confirmationem asyli renovarent ac praecipue priora decreta ipsi quoque lapidibus inciderent. Nam haud dubie ita tantum a praedationibus satis securos se esse Teii existimabant. Num vero hujus quoque legationis certa causa fuerit, dubium potest videri.

Praeter titulos adhuc tractatos nullum Teii asyli testimonium nobis est servatum nisi duo levia vestigia: in nummo aliquo inscriptio *ἁγνῶν Τηίων* et in titulo appellatio *ἡ ἱερωτάτη πόλις.*[12]) Qui titulus cum in imperatorum tempora incidat, apparet Teiorum privilegium usque in posteriorem aetatem permansisse neque a Romanorum sive libera republica sive principatu iis esse ereptum. Nam quod inter eas urbes, quarum solarum asyla Tiberio imperante a Romanis confirmata sunt, Teos non invenitur,[13]) non mirandum est, quoniam illa asyla plane diversi erant generis, id quod statim elucebit.

Nunc enim, quae gravior est quaestio, de genere et condicione Teii asyli paulo diligentius est quaerendum. Sunt autem duo potissimum apud Graecos asylorum genera; „fuere“ enim „asyla loca, quae sive reis, non involuntariis modo, sed interdum etiam voluntariis, perfugium praebuere, sive quae ab

11) étud. histor. sur les traités publ. chez les Gr. et les R. 262. les documents relatifs à l'asile de Téos offrent une sensible analogie avec ceux de nos traités modernes, où l'acte principal s'augmente des actes d'adhésion souscrits par divers autres États.

12) Mionn. suppl. 6, 376, n. 1890. C. J. Gr. 3108.

13) Tac. Ann. 3, 60—63. 4, 14. cf. Suet. Tib. 37.

hostibus invadi spoliarive nefas habitum";[14]) etsi valde cavendum est, ne putetur semper acriter utrumque a Graecis distinctum esse. Jam si Teiorum decreta accurate perspexerimus, posterius asyli genus iis fuisse inveniemus.

Ac primum quidem in omnibus decretis hanc reperimus formulam: *εἶναι τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν ἱερὰν καὶ ἄσυλον* vel *ἁ καθιέρωσις τῷ Διονύσῳ τᾶς τε πόλιος καὶ τᾶς χώρας τᾶς Τηίων καὶ ἁ ἀσυλία* vel similem. Videmus igitur non de templo aliquo vel fano agi, sed totam et urbem et terram Teiorum Baccho consecratam et *ἄσυλον* fuisse. Jam illa *καθιέρωσις* est fere nil nisi inanis formula sive potius id, in quo nititur gravius jus *ἀσυλίας*.

Haec autem *ἀσυλία* in singulis decretis accuratius circumscribitur, variis quidem verbis, sed eodem redeuntibus, quas formulas perlustrare non fuerit inutile. Polyrrhenii (Leb. 62) decernunt *ἦμεν πάνσι τοῖς ἐν Τέῳ ἀσφάλειαν καὶ κατὰ γᾶν καὶ κατὰ θάλασσαν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον*, Delphi (84) *εἶμεν αὐτοῖς τὰν ἀσφάλειαν καὶ ἀσυλίαν καὶ πᾶσι τοῖς ἐν Τέῳ κατοικεόντοις, καθὼς καὶ τοῖς Διονυσιακοῖς τεχνίταις*. Pluribus utuntur verbis Cydoniatae (64): *εἰ καί τινες ἄγωντι Τηίος ἢ τὸς κατοικόντας παρ᾽ αὐτοῖς, οἱ κόσμοι καὶ ἄλλος ὁ λῶν*[15]) *Κυδωνιατᾶν ἢ Τηίων ἀφελόμενοι καὶ διδόντες τοῖς ἀδικημένοις κύριοι ἔστωσαν*, quod idem 68 b et 73 reperitur. Paulo aliter idem exprimitur in plurimis Cretensium decretis;[16]) atque ut unum eligam: *καὶ εἴ τινές κα τῶν ὁρμιομένων Λατόθεν ἀδικήσωντί τινα Τήιον ἢ κοινᾷ ἢ ἰδίᾳ—, ἐξέστω τῷ παραγενομένῳ Τηίων ἐπιλαβέσθαι καὶ σωμάτων καὶ χρημάτων, εἴ τίς κα ἄγῃ, οἱ δὲ κόσμοι οἱ τόκ᾽ ἀεὶ κοσμίοντες ἀναγκαζόντων ἀποδιδόμεν τὸς ἔχοντας ἀζήμιοι ὄντες καὶ ἀνυπόδικοι.* Accuratissime denique rem exponunt Aetoli (85): *μηθένα Αἰτωλῶν μηδὲ τῶν ἐν Αἰτωλίᾳ κατοικεόντων ἄγειν τοὺς Τηίους μηδὲ τοὺς ἐν Τέῳ κατοικέοντας μηδαμόθεν ὁρμωμένους, ἀλλὰ τὰν ἀσφάλειαν καὶ ἀσυλίαν εἶμεν αὐτοῖς τὰ ἀπ᾽ Αἰτωλῶν καὶ τῶν ἐν Αἰτωλίᾳ κατοικέοντων, εἰ δέ τίς κα ἄγῃ ἢ αὐτοὺς ἢ τὰ ἐκ τᾶς*

14) Eckhel D. N. 4, 308.

15) nam sic scribendum puto (non *ὅλων*, quod Wadd. vult), cf. in iisdem formulis 68 b et 73 *ὁ βωλόμενος*.

16) 61. 66. 67. 68 a. 68 c. 69. 70.

πόλιος ἢ χώρας, τὰ μὲν ἐμφανῆ ἀναπράσσειν τὸν στραταγὸν καὶ τοὺς συνέδρους ἀεὶ τοὺς ἐνάρχους, τῶν δὲ ἀφανέων ὑποδίκους εἶμεν τοὺς ἀχνηκότας, γινομένας τοῖς Τηίοις τᾶς ἐγδικάσιος καὶ τᾶς λοιπᾶς οἰκονομίας, καθὼς καὶ τοῖς Διονυσιακοῖς τεχνίταις ὁ νόμος τῶν Αἰτωλῶν κελεύει.

Quibus omnibus e formulis plane et perspicue videmus Teiorum *ἀσυλίαν* ejusmodi fuisse, ut ab injuriis imprimisque rapinis singularum civitatum sive publicis sive privatis essent tuti. Haec incolumitas modo *ἀσυλία*, modo *ἀσφάλεια* (62) nominatur; quae voces si conjunctae reperiuntur (84. 85), „*ἀσφάλεια* ad personam, *ἀσυλία* ad res spectasse videtur.“ [17])

Ἀσυλίαν Teiorum profectam esse ex urbis et terrae sanctitate jam supra diximus et inde vel magis apparet, quod non solum ad cives, sed etiam ad incolas pertinebat.[18]) Tamen non solum intra suos fines Teios tutos fuisse verbis Polyrrheniorum *ἀσφάλειαν καὶ κατὰ γᾶν καὶ κατὰ θάλασσαν* (62) demonstratur.

At vero nullo in decretis vestigio eo adducimur, ut quemvis supplicem in finibus Teiorum incolumitatem nactum esse credamus, quod si respectum esset, sine dubio disertis verbis esset indicatum, uti factum est in decreto Trallianorum (C. J. Gr. 2919); omnino autem tale asylum ab exteris civitatibus confirmari minime oportebat, immo vero id Teiorum erat. Quare non recte Försterus (p. 11) rem ita intellexisse mihi videtur, ut utrumque asyli genus Teiis decretum esse statuat. Ceterum concedo fortasse ipsum Bacchi templum supplicibus perfugium praebuisse, sed hac de re prorsus nil scimus.

Jam ad singula nonnulla nos convertamus. Ac primum quidem observandum est, quanta potestas, si quis contra concessam asyliam egerit, Teiis sit data. In plurimis enim Cretensium decretis cuivis Teiorum permittitur, ut et personam et bona ejus, qui praedatus sit, vindicet, cosmi autem hunc cogere jubentur, ut quae rapuerit reddat. Plus etiam Cydoniatae, Apteraei, Allariotae concedunt, cum praeter cosmos, quisquis Cydoniatarum etc. et Teiorum volet, ei potestas datur res ereptas

---

17) Meier de proxenia 19; aliter Förster de asyl. Gr. p. 11, n. 1.

18) 61. 64. 66. 68 b. 73. 84. 85; etiam verba *πάντι τοῖς ἐν Τέῳ* (62) utrumque genus comprehendere verisimile est.

praedatori demendi (64. 68 b. 73). Aetoli denique duplicem actionem ita distinguunt, ut manifesta bona erepta strategus et synedri sine judicio exigant, de latentibus autem justa lis intendatur.

Quod a Romanis et Athamanibus etiam *ἀφορολογήτους* Teios esse decernitur (60. 83), ea nil nisi inania esse verba jam supra (§ 5) notavi. Nec multo plus tribuerim iis verbis, quae in omnibus fere decretis consecrationi et asyliae concessae adduntur: *καὶ τὰ λοιπὰ τὰ ὑπάρχοντα ὑμῖν ἔνδοξα καὶ τίμια* (*διὰ* vel *εἰς τὸν θεόν*) *συνδιαφυλαξίομεν ἀπροφασίστως*. Intellegenda sunt haud dubie sollemnia ludique et similia ad Bacchi cultum spectantia.

In posterioris ordinis decretis Cretensium praeter renovatam asyli confirmationem nonnulla satis memorabilia adduntur. Primum enim Apteraei decernunt, ut, qui Teios injuria affecerit, pro sacrilego habeatur.[19]) Sed multo gravius est hoc: cum antea de iis solis ageretur, qui e singulis quibusque urbibus profecti Teios praedarentur,[20]) tunc contra omnes, quicunque Teiis bellum vel injuriam inferrent, pro sua parte se auxilium laturos esse Cretenses promiserunt.[21]) Denique *ἰσοπολιτείαν καὶ ἔγκτησιν γᾶς καὶ οἰκίας καὶ ἀτέλειαν* Teiis petentibus concesserunt,[22]) unde videre licet, quam arte ii Cretenses voluerint sibi devincire.

Ex iis, quae adhuc disputavimus, cum sequatur Teios plane inviolabiles fuisse, facile est iniellectu. quantae utilitati haec privilegia iis fuerint. Cui ne id quidem repugnat, quod tribus annis post asyli confirmationem ipsi Romani fines Teiorum vastaverunt (Liv. 37, 27—28); nam ea sola condicione Romani Teiis privilegia concesserant, ut ipsi quoque bene-

19) 75. *ἐάν τινες ὁρμιόμενοι ἐξ Ἀπτέρας ἀδικήσωντι Τηίος, εἶναι αὐτὸς ἐνόχος τῷ τῆς ἱεροσυλίας νόμῳ.*

20) exceptis Hierapytnaeis, qui decernunt (68 a): *ἐφ᾽ ὅσον δυνατὸν ᾖ, οὐκ ἐπιτράψομεν οὐδενὶ ἀδικὲν ἐν τᾷ ὑμᾷ χώρᾳ.*

21) 80. *ἐάν τινες ἀδικήσωσιν ὑμᾶς ἢ χώραν παραιρῶνται καὶ πολεμέωσιν ὑμῖν κατὰ γᾶν ἢ κατὰ θάλασσαν, βοαθήσομεν ὑμῖν, καθότι ἂν ἔωμεν δυνατοί;* similiter 75—78.

22) 76—78. 80. Teios haec quoque beneficia petiisse e titulo 80 apparet.

volentiam in se servarent (*διατηρούντων ὑμῶν καὶ εἰς τὸ μετὰ ταῦτα τὴν πρὸς ἡμᾶς εὔνοιαν* Leb. 60), Teios autem ab Antiochi partibus contra Romanos stetisse supra narravimus.

Haec fere de genere Teii asyli habui quae dicerem. Atque anquirenti similia in Graecia asyla, quae e sanctitate loci profecta incolis securitatem praebuerint, occurrit mihi Elidis exemplum, quae propter Olympia ab antiquissimis temporibus *ἱερὰ καὶ ἀπόρθητος* erat,[23]) deinde Plataearum, quas post pugnam Plataeensem Graeci Iovi Eleutherio consecrarunt.[24]) Ejusmodi autem asyla Elidem et Plataeas fuisse, ut quivis supplex ibi tutus esset, nemo veterum memoriae prodidit. Praeterea Delum et Samothracen aliaque sacra loca huc referre non dubito, quamquam ad haec alterum quoque asyli genus pertinuisse satis constat.

Quatenus Tei asylum ad personarum *ἀσφάλειαν καὶ ἀσυλίαν* spectabat, comparari potest cum ea asylia, quam Ceis Aetoli concesserunt, quam Parii et Allariotae inter se decreverunt,[25]) qua Dionysiaci artifices,[26]) agonistae, caduceatores fruebantur, quae singulis hominibus, imprimis proxenis, saepissime honoris causa est decreta.[27]) Eo autem Teiorum asylia ab hac differt, quod illa loci sanctitati debebatur, haec aliis causis.

Proxime autem ad Teium asylum accedere mihi videntur multae illae urbes Asiaticae, imprimis in Cilicia et Syria sitae, quae inde a diadochorum temporibus in nummis *ἱεραὶ* et *ἄσυλοι* nuncupantur.[28]) Nam haud dubie tales urbes sunt intellegendae,

---

23) Polyb. 4, 73. Strab. 8, 333. 355. 357—8.

24) Plut. Arist. 21. *Πλαταιεῖς ἀσύλους καὶ ἱεροὺς ἀφεῖσθαι τῷ θεῷ.* cf. Thuc. 2, 71.

25) C. J. Gr. 2350 iisdem fere verbis quam in Teio Aetolorum decreto, sed sanctitatis notione omissa. — C. J. Gr. 2557 ubi *τὸ ἄσυλον* nil nisi *ἀσυλία* esse videtur (B, v. 4).

26) quibuscum ipsi Teii a Delphis et Aetolis comparantur (84. 85).

27) cf. Westermann de publ. Athen. hon. 42; Meier de proxenia 18 sq.; Förster l. l. p. 6 sqq.

28) catalogum habes apud Eckhel. 4, 307, etsi non omnes ibi enumeratae huc pertinent; cf. Spanheim de praest. et usu num. 1, 665; Wallon du droit d'asyle; Krause *νεωκόρος* 86, n. 3. 6.

quae numini alicui consecratae diripi vel ulla alia injuria affici fuerint vetitae. Atque imprimis Seleucidae multas urbes eo privilegio donaverunt, sive honoris causa, sive ut opes eorum augerent et amplificarent. Insigne exemplum praebet Smyrna, quae e Seleuco II. Callinico *ἱερὰ καὶ ἄσυλος* est declarata.[29]) Jam si considero Seleucidas etiam regno Asiae minoris amisso Teiis favisse (cf. supra § 5 extr.), valde probabile mihi est, ut aliis populis, ita Teiis quoque propter eximium Bacchi cultum sanctitatem et asyliam urbis ab aliquo Seleucidarum, sive illo Seleuco sive alioquo, esse donatam, ita ut in tertio a. Chr. saeculo initium asyliae Teiae sit collocandum. Quo jure autem Försterus (p. 12, n. 2) jam in diris asylum latere statuat, me quidem latet. Denique quod Welckerus[30]) censet urbis asyliam deberi artificibus Dionysiacis ipsis quoque asylia fruentibus, nulla re potest demonstrari, immo vero per se omnino est incredibile.

Cap. IV.

§ 18. De Dionysiacorum artificum collegiis Teiis.

Cum jam duo viri docti de collegiis artificum scaenicorum accuratius quaesiverint[1]) ideoque etiam de Teio collegio pleraque contulerint, non necessarium censeo hac in commentatione omnia illa repetere, praesertim cum eorum plurima nostram quaestionem non attingant. Quare equidem ea fere sola tractare mihi proposui, quae ad rationem inter collegium et urbem intercedentem pertinent; antea autem de historia collegii paucis disserere non alienum arbitror.

---

29) C. J. Gr. 3137, I, v. 11, decretum Smyrnaeorum, ubi de Seleuco dicitur: *ἔγραψεν δὲ καὶ πρὸς τοὺς βασιλεῖς καὶ τοὺς δυνάστας καὶ τὰς πόλεις καὶ τὰ ἔθνη, ἀξιώσας ἀποδέξασθαι τό τε ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι καὶ τὴμ πόλιν ἡμῶν ἱερὰν καὶ ἄσυλον.* Ubi distincte sejunguntur asylum templi et asylia urbis. Templi asylum est alterius generis, quo supplices defendebantur.

30) griech. Trag. p. 1305.

1) Lüders die dionys. Künstler Berlin 1873. Foucart de collegiis scenicorum artificum Parisiis 1873. cf. Sauppe de collegio artificum scaenicorum Attico Gottingae 1876.

Ac de tempore originis ejusmodi collegiorum omnes viri docti inter se ita consentiunt, ut circa Philippi et Alexandri Magni tempora ea orta esse censeant. Eodem tempore Tei quoque nonnulli artifices ad tale sodalitium esse congregaverint atque haud scio an ille Athenodorus Teius *φιλοκιθαριστής*, qui in Alexandri nuptiis anno 324 Susis celebratis praeter alios artem ostentavit (Chares apud Athen. 12, 539 E) jam ipse collegii fuerit particeps; etsi valde id incertum est. Ipsa autem Teos, ubi Bacchus tam eximie coleretur, opportunissima Dionysiacorum artificum erat sedes. Accedebat artium musicarum studium Teiorum, quod haud dubie non solum ab artificibus est incitatum; cujus rei cum supra identidem argumenta attulerim,[2]) hoc loco sufficiat Anacreontem nominare, quem quanti Teii aestimaverint, ex eo licet colligere, quod statuam ei erexerunt (Theocr. epigr. 16) ejusque imaginem in nummis incidebant.[3])

Jam cum Bacchum a Teiis pro duce et praeside urbis habitum esse supra viderimus (cf. § 16 in.), profecto non mirum videtur, quod illud collegium nomen assumpsit *τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον τεχνιτῶν*,[4]) cum ceteri artifices Dionysiaci omnes simpliciter *οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται* nominarentur. Haud dubie autem illud priscum collegium ad solos Teiorum ludos erat destinatum necdum multum habebat gloriae et auctoritatis.

Postea aliud simile collegium constitutum est *τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου*, quippe qui non tam Tei quam in vicinarum urbium ludis prodirent. Mox autem opportunum visum est duo illa collegia in unum conjungi retentis tamen veteribus vocabulis, unde legimus in titulis supra allatis: *τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ'*

2) cf. § 13 (de juvenili eruditione musica); § 15 (de Musarum cultu); § 10 (de ludis musicis).

3) etiam alii poëtae Teo erant oriundi, ut Pythermus scoliorum scriptor (Athen. 14, 625 C), Scythinus iambographus (Steph. Byz. s. v. *Τέως*; Athen. 11, 461 F).

4) C. J. Gr. 3067. 3068 A. Leb. 281, qui in medium fere secundum a. Chr. saeculum incidunt.

Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου καὶ τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον. Aliter enim haec explicari posse vix credo; illud autem, quod prius dixi, collegium quamquam tempore antecessisse ex ipsa re apparet, tamen auctoritate ab altero superatum esse vel inde elucet, quod post consociationem hujus nomen priore loco ponebatur. Quin etiam posterioribus temporibus illud additamentum *καὶ τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον* prorsus omissum esse titulis potest demontrari. Imperatorum denique aetate etiam brevius dicebatur *ἡ σύνοδος τῶν ἀπὸ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου.*[5])

Similiter de duobus illis conjunctis collegiis judicat Boeckhius (ad C. J. Gr. 3067). Quod vero Lüdersius (p. 77 sq.) isti sententiae opponit in urbe Jaso utrumque prodiisse collegium (Leb. 281), inane est argumentum, quoniam apparet post congregationem nullum inter collegia remansisse discrimen, sed unam synodum ex duobus factam esse, quae et Tei et alibi ludos ageret. Foucarti sententia (p. 7 sq.) censentis alterius collegii sodales ex ipsa Teo oriundos fuisse, alterius extrinsecus eo confluxisse ex iis, quae supra dixi, corrigenda est; neque enim intererat, unde artifices orti essent, sed ubi ludorum causa versarentur. Denique quod Lüdersius ipse arbitratur (Welckerum[6]) haud dubie secutus): „mehr Wahrscheinlichkeit hat die Ansicht, dass sie (scil. *οἱ περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον*) als ein Nebenzweig sich der grossen Synodos angeschlossen, nachdem sie früher auf eigene Gefahr gespielt hatten,“ id tam generatim est dictum, ut cum nostra sententia aliquo modo possit conciliari.

Illud vero Lüdersio (p. 22)[7]) plane assentior, quod At-

---

5) C. J. Gr. 2933 = Leb. 605, ubi Boeckhius quidem Waddingtonio probante lacunam ex *ὁμοιοάρκτῳ* ortam ita statuit, ut verba *τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν* excidisse putet; sed equidem cum Ussingio (inscr. Gr. ined. p. 27) id negaverim, praesertim cum hodie Ephesium habeamus titulum, ubi legitur *ἀρχιερατεύσαντα τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου* (Wood. disc. at Eph. inscr. from the site of the temple of Diana 18), quae verba haud dubie ad synodum nostram sunt referenda.

6) griech. Trag. p. 1304.

7) quocum consentit Lipsius in Bursian. Jahresb. 1873, p. 1394.

talistarum collegium (C. J. Gr. 3069—3071. bull. de corr. hell. 4, p. 164) non idem esse statuit atque illam synodum, ut Foucartus (p. 7 sq.), neque partem hujus ascriptam aulae regiae Pergami, ut Boeckhius et Welckerus (p. 1306 sq.), sed potius thiasum ex ipsis artificibus ad Attalos reges colendos constitutum. Quas causas ille affert, alienum est hoc loco repetere; sunt sane ejusmodi, vix ut possint refelli.

Sed jam quaeritur, quid fuerit *τὸ κοινὸν τῶν συναγωνιστῶν* (C. J. Gr. 3068 B), quod nemo adhuc satis recte explicasse mihi videtur. Nam Boeckhii sententia, qui censet fuisse id collegium quoque anno ex exteris artificibus Teum confluentibus constitutum in tempus illorum apud Teios ludorum, qui tum ipsum agerentur,[8]) eo facile potest refelli, quod illi synagonistae perpetuae coronationis honorem decernunt. Accedit hodie, quod unus ex iis a magno collegio legatus mittitur (Leb. 281, v. 36), quod vix factum esset, si ista sententia esset vera. Sed ne Lüdersio quidem (p. 78), qui synagonistas peculiare quoddam collegium effecisse suspicatur plane diversum a magno, quamvis cum eo conjunctum, possumus assentiri. Nam quo ille argumento nititur Cratonem quendam sacerdotem fuisse et magnae synodi et synagonistarum, nullum est, quoniam illud sacerdotium, quod in synagonistarum decreto (3068 B, v. 5) Cratoni ascribitur, sine dubio idem est, quod in magnae synodi decreto (3067, v. 6) commemoratur, i. e. sacerdotium hujus ipsius synodi. Minime autem Waddingtonii (ad Leb. 281) et Foucarti (p. 8) sententia potest stare censentium synagonistas fuisse histriones, qui intra artificum omnis generis collegium minus sodalitium effecerint, contrarium musicis et poetis. At vero tibicinem illum Cratonem synagonistam fuisse diserte eodem titulo declaratur,[9]) quem locum miror illos effugisse.

Id tamen constat synagonistas magnae synodi fuisse partem, atque equidem crediderim, quicunque in collegium reci-

8) idem sentit Welckerus p. 1306. Boeckhius jam a Lüdersio (p. 78 sq.) et Foucarto (p. 8) est refutatus.

9) 3068 B, v. 12 sqq. *ἵνα οὖν καὶ οἱ συναγωνισταὶ ἐμ παντὶ καιρῷ φαίνωνται τιμῶντες τοὺς ἐξ ἑαυτῶν,* Cratonem coronare decernunt. Cratonem tibicinem fuisse declaratur titulis 3067. 3068. Leb. 255.

perentur, priusquam ordinarii fierent socii, per aliquod tempus synagonistarum nomine proprio artificum corpori esse adjunctos, donec, fortasse specimine artis dato, in illum numerum cooptarentur. Quod magnopere confirmari mihi videtur illis verbis *τοὺς ἐξ ἑαυτῶν* (cf. n. 9), quibus vix aliud quid significari posse mihi videtur, quam „eos, qui in synagonistarum numero fuerant;" praesertim cum minime verisimile sit Cratonem eo tempore, quo synodi sacerdos esset, etiamtum in synagonistarum fuisse collegio, qualecunque hoc fuerit. Erant igitur synagonistae extraordinarii socii, ipsi quoque proprium collegium ita efficientes, ut possent aliquid decernere et communes agerent epulas (3068 B, v. 16) suosque haberent annuos magistratus (v. 22). Tamen haud dubie multa jura cum ceteris habebant communia, ut adeo ex iis legati a collegio possent mitti (Leb. 281, v. 36). Synagonistae praeterea reperiuntur in titulo C. J. Gr. 3082 aetatis imperatoriae, ubi Boeckhius nescio an non recte supplevit: (*οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται οἱ ἀπὸ τῆς Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου*) *καὶ οἱ τούτων συναγωνισταί*; denique non dubito huc referre titulum Viennae Allobrogum repertum,[10]) ubi legitur: „scaenici Asiaticiani et qui in eodem corpore sunt." Vides quam bene hae duae appellationes cum nostra sententia congruant; quamquam fieri potest, ut posteriore illa aetate condicio synagonistarum non plane eadem quae prius fuerit.

Denique quod in titulo Leb. 281, v. 13—14 distinguuntur *οἱ ἐγγεγραμμένοι τεχνῖται καὶ μετέχοντες*, cum Lüdersio p. 139 sq. crediderim *τοὺς μετέχοντας* esse exteros artifices ad tempus collegio sese adjungentes. Neque enim probabile est in eodem decreto synagonistas duobus nominibus esse significatos (*συναγωνιστής* occurrit v. 36), atque exteros artifices Teum venisse titulo C. J. Gr. 3068 C demonstratur. *Οἱ ἐγγεγραμμένοι* autem etiam synagonistas comprehenderint.

Similis nostrae synodo haud dubie fuit ratio *τεχνιτῶν* et *συναγωνιστῶν*, qui in alio quodam artificum collegio imperatoriae distinguuntur (Leb. 1619). Eandem vero quam *τεχνῖται*

---

10) Orell. 1, n. 2642, quem titulum jam Sillig (ad Böttiger opusc. 339) et Welcker (p. 1308; cf. p. 1607) nostrae synodo attribuerunt.

significationem vox *συναγωνιστῶν* in titulo C. J. Gr. 6786[11]) habere videtur, quod quidem per se non est incredibile.

Sed revertamur ad historiam Teiae synodi, quam si porro persequi volumus; imprimis adhibendum nobis est Strabonis testimonium (14, 643), quod aptissimum censeo integrum repetere: *ἐνταῦθα (ἐν Λεβέδῳ) τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν ἡ σύνοδος καὶ κατοικία τῶν ἐν Ἰωνίᾳ μέχρι Ἑλλησπόντου, ἐν ᾗ πανήγυρίς τε καὶ ἀγῶνες κατ' ἔτος συντελοῦνται τῷ Διονύσῳ· ἐν Τέῳ δὲ ᾤκουν πρότερον, τῇ ἐφεξῆς πόλει τῶν Ἰώνων· ἐμπεσούσης δὲ στάσεως εἰς Ἔφεσον κατέφυγον. Ἀττάλου δ'εἰς Μυόννησον αὐτοὺς καταστήσαντος μεταξὺ Τέω καὶ Λεβέδου πρεσβεύονται Τήιοι δεόμενοι Ῥωμαίων, μὴ περιιδεῖν ἐπιτειχιζομένην σφίσι τὴν Μυόννησον, οἱ δὲ μετέστησαν εἰς Λέβεδον, δεξαμένων τῶν Λεβεδίων ἀσμένως διὰ τὴν κατέχουσαν αὐτοὺς ὀλιγανδρίαν.*

Ab initio igitur Tei habitaverunt artifices; tituli autem eorum Tei reperti usque ad annum 152—1 vel potius ad insequentes annos pertinent.[12]) Quare fieri non potest, ut ante annum 150 seditione coacti Ephesum confugerint (de causa hujus rei infra erit dicendum). Postea autem cum Attalus Myonnesi eos collocasset, Teiis petentibus a Romanis Lebedum sunt traducti. Jam quia e Strabonis verbis appareat artifices statim, postquam Myonnesi sint collocati, a Romanis inde abductos esse, hi autem non ante annum 133, quo anno regnum Pergamenum iis obvenit, tale quid facere potuerint, his de causis Boeckhius (ad C. J. Gr. 3067) Attalum III. (137—133), non Attalum II. (158—137) a Strabone intellectum esse putat; quae ratiocinatio non satis justa mihi videtur, quia Romanos etiam ante annum 133 in Asia summa fuisse auctoritate satis est notum. Quare de temporum ratione id unum statuere licet ante annum 133 artifices ab Attalo II. vel III. Myonnesi et paulo post a Romanis Lebedi esse collocatos. Cur Myonnesum Attalus artifices transtulerit, cognoscere non licet; inde autem

---

11) *ψήφισμα τῆς ἱερᾶς Τραιανῆς Ἁδριανῆς συνόδου τῶν περὶ τὸν Αὐτοκράτορα — Σεβαστὸν, νέον Διόνυσον, συναγωνιστῶν.* Ceterum haec synodus gymnica fuisse videtur (cf. Franzium in explicatione tituli).

12) C. J. Gr. 3070 anno 152—1 est tribuendus; sed paulo recentiores sunt 3069 et 3070. cf. Boeckhium in ann.

periculum sibi imminere rati a Romanis auxilium Teii petierunt, quo factum est, ut ii Lebedi artifices collocarent, quae urbs proxime esset sita et ipsa quoque Baccho multum tribueret.

Lebedi diutius artifices habitarunt, donec anno 32 ab Antonio qost ludos Sami celebratos Prienae domicilia acceperunt.[13]) Tamen mox Lebedum reverterunt, siquidem Strabonis tempore ibi sedes habebant. Tum autem, cum Horatius epistulam undecimam scripsit,[14]) nondum Lebedum rediisse videntur, quod si factum esset, nullo modo ille poterat dicere (v. 6 sq.): „scis, Lebedus quid sit: Gabiis desertior atque Fidenis vicus".

Usque ad ultima tempora Lebedi artifices habitasse veri est simillimum.[15]) Nam quod Foucartus (p. 9) e Teio titulo C. J. Gr. 3082 in imperatorum tempora incidente concludit collegium Teum revertisse, id valde est dubium, quoniam in aliis quoque civitatibus collegii decreta ejusdem temporis reperimus,[16]) nimirum quia multas urbes artifices visitabant. Quid quod omnino dubium est, num Boeckhius recte nostri collegii mentionem in illum titulum inseruerit; servatum est nil nisi verba *καὶ οἱ τούτων συναγωνισταί* (cf. supra). Sed hoc concesso nil amplius ex illo decreto comperimus nisi collegium Lebedium posteriore quidem tempore ut alio ita Teum quoque socios suos ad ludos agendos misisse.

Foucartus praeterea censet (p. 93 sqq.) Hadriano imperante ex omnibus prioribus artificum collegiis unum esse conflatum, Baccho illud quidem et imperatori consecratum, quod compluribus titulis exhibetur,[17]) nisus maxime verbis, quae sunt *σύνοδος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* vel similia. At vero repugnant huic sententiae tituli, qui etiam post Hadriani aetatem alia collegia praebent. Atque ut reliquas omittam, Lebediam

---

13) Plut. Ant. 56. 57, ubi haud dubie nostra synodus est intellegenda cum Boeckhio (add. ad 3067) et Foucarto (p. 9) nec vero cum Lüdersio (p. 108) universi artifices Dionysiaci.

14) inter annos 29 et 21 a. Chr.

15) cf. Boeckhium (ad 3082), Welckerum p. 1308, Lüdersium p. 88.

16) ut Trallibus C. J. Gr. 2933.

17) C. J. Gr. 349. 3476 b. Leb. 1619. ann. del inst. 1861, p. 183. Hi soli, quantum video, ad hanc synodum pertinent; nam alii, ut 4081. 6785. 6786, qui huc referentur, aliorum sunt collegiorum.

synodum etiam postea exstitisse titulo Tralliano (C. J. Gr. 2933) demonstratur, quem Boeckhius (ad 2932) recte propter Julii cujusdam Philippi mentionem non ante aetatem cognominis imperatoris (244—249) collocandum esse suspicatur. Praeterea titulus sub Septimio Severo (193—211) incisus (C. J. Gr. 6829) cum alias ob causas tum propter mentionem *τοῦ καθηγεμόνος Διονύσου* haud dubie nostrae synodo est attribuendus, id quod jam editores opinati sunt. Foucartus quidem hunc quoque ad grande illud collegium referre videtur.[18]) Illa autem verba *ἀπὸ τῆς οἰκουμένης* facillime ita explicari possunt, ut non tam omnes totius orbis artifices, quam artifices ex omnibus terris confluentes comprehendisse illud collegium putetur.

Trallianus titulus, quem modo attuli, novissimum est testimonium synodi Lebediae, quae quando perierit, nescimus; tamen id constat cum aliis ejusmodi institutis Christiana religione quarto fere saeculo eam esse abolitam.

Atque haec hactenus de historia nostri artificum collegii; jam Teum revertamur, ut videamus. quantum urbs illi debuerit; quod si recte judicare volumus, imprimis respicienda est multitudo artificum ad synodum pertinentium.

Haec autem vel maxime inde apparet, quod Lebedii libenter eos receperunt *διὰ τὴν κατέχουσαν αὐτοὺς ὀλιγανδρίαν* (Strab. 14. 643). Praeterea demonstratur eo, quod tam multarum urbium ludi ab iis curabantur. Initio quidem, id quod ipso nomine declaratur, intra Ioniae usque ad Hellespontum fines sese continuerunt — tamen hic quoque quot florentes urbes sitae fuerint, quis ignorat? —, postea autem longius processerunt, non solum in reliquam Asiam,[19]) sed etiam in insulas Archipelagi, ut Delum (C. J. Gr. 3067, v. 30—31), et in Graeciae continentem, ut Delphos, Thespias, Thebas [20]) ita ut omnes fere Graecas

18) item Welckerus p. 1311.

19) velut Jasum Leb. 252—299; Cnidum C. J. Gr. 3091, siquidem Boeckhii conjectura recta est.

20) C. J. Gr. 3067, 18 sqq., ubi quidem non Teii soli, sed omnes artifices sunt intellegendi cum Boeckhio, Lipsio (l. l. p. 1397), Lollingio (Mittheil. d. d. arch. Inst. 1878, 136). Solos Teios accipiunt Welckerus p. 1305, Lüdersius p. 80, Sauppius p. 12 sq. et quantum video Foucartus p. 62.

civitates ad ludos agendos eos adiisse possit credi. Romanorum vero temporibus adeo totum orbem terrarum eos visitasse titulis potest demonstrari,[21]) sed haec omitto, quoniam tunc non jam Tei habitabant. Tamen id demonstrasse mihi videor ingenti artificum numero collegium constitisse.

Hos autem non omnes vel potius paucos tantum ex ipsa Teo oriundos fuisse cum per se pateat, tum titulis potest confirmari; nullus enim inter eos artifices, quorum patria indicatur, Teius reperitur, nisi unus Chalcidensis (Leb. 91). Reliqui autem — ut iterum posteriora tempora omittam — imprimis sunt Asiatici: Lebedius (C. J. Gr. 3089, cum synodus Tei etiamtum habitaret), Magnetes (Leb. 92), Myndius (Leb. 253), Samius (Leb. 281), Phocaeensis (Leb. 93. bull. de corr. hell. 4, p. 177), Mytilenaeus (Leb. 91), Pergameni (C. J. Gr. 3090. Leb. 93), Calchedonius (C. J. Gr. 3068 B. Leb. 255), quibus accedunt duo Boeotii (Leb. 253. 255). Ceterum ad hanc quaestionem non possunt adhiberi quattuor illi victorum catalogi ad Soteria Delphica pertinentes (Wescher et Foucart inscr. de Delphes n. 3—6), quos Lüdersius (p. 113) Teiae synodo attribuendos censet, Lipsius[22]) autem recte abjudicat propter id ipsum, quod nulli fere tantae multitudinis ex Asia sunt oriundi.

Jam si consideramus, quot artifices exteri hoc modo Teum confluxerint, negare non possumus opes urbis et divitias eximie inde auctas esse et amplificatas. Huc accedit quod haud dubie ipsum collegium magnis florebat divitiis, id quod vel maxime titulo quodam Jasensi (Leb. 281) demonstratur. Ibi enim decernit synodus, ut propter praesentem Jasensium inopiam artifices omnis generis eo mittat mercede non accepta.[23])

---

21) velut Romam (C. J. Gr. 6829 *Καπετωλιονείκης*) et Galliam (cf. supra n. 10).

22) p. 1396; idem sentiunt Foucartus p. 63, Sauppius p. 13.

23) sic haud dubie recte explicat titulum satis corruptum Lüdersius p. 87 sq. p. 125; aliter quidem Foucartus p. 60 sq. Lüdersii sententia imprimis demonstratur his verbis (v. 26 sqq.): *ἵνα δὲ καὶ Ἰασεῖς ἐπιγεινώσκωσιν τὴν τοῦ πλήθους ἡμῶν σπουδὴν καὶ ἣν ἔχομεν πρὸς τοὺς φίλους ἐκτένειαν ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις καιροῖς*, quae postrema verba Waddingtonius falso refert ad ipsorum artificum migrationes.

Sed ut ipsum collegium Teiis magnum fructum ferebat, ita eo quoque urbi non minus proderat, quod, qua erat claritate et gloria, undique ad ludos spectandos peregrinos alliciebat. Quod ut recte aestimetur, respiciendum est, et quam multi ludi Tei sint celebrati (cf. § 10), et quanto spectaculorum studio et amore illis temporibus veteris libertatis amissae omnes Graeci sint incensi. Quin etiam vix errabimus, si propter artifices potissimum factum esse statuemus, ut ipsa regina Pergami Apollonis Teum adiret (cf. § 5 extr.).

Ad summam enim gloriam pulcherrimumque florem et collegium et ipsa urbs sub Attalidarum regno pervenit, certe jam Attalo I. regnante, multo autem magis filiis ejus, Eumene II. et Attalo II., faventibus. Qui quanto studio artifices amplexi sint quantosque ipsi honores ab iis assecuti, locupletissimi sunt testes ipsorum artificum decreta.[24]) Sine dubio iis temporibus nobilissima et illustrissima omnium ejusmodi synodorum (excepta fortasse Attica) erat Teia, et ea urbs, in qua illa sedem haberet, vix ulla alia ejus orae gloria et laude erat inferior. Quantum vero ipsi Teii artificibus tribuerint, fortasse vel inde licet colligere, quod adeo in nummis personas scaenicas inciderunt, velut Sileni et Terpsichorae.[25])

Quae cum ita sint, facile intellegitur, quam graviter Teos sit afflicta, cum artifices seditione exorta Ephesum confugere cogerentur. Simul operae pretium erit quaerere, quid tandem talem discordiam concitarit, qua quaestione ad rationem inter artifices et urbem intercedentem perducimur. De qua etsi perpauca testimonia sunt tradita, tamen nonnulla licet nobis perspicere.

Artificum Dionysiacorum condicio ut recte judicetur, imprimis consideranda est eorum *ἀσυλία καὶ ἀσφάλεια*, quae ab omnibus Graecis secundum Apollinis oracula iis erat confirmata. Quod ipsa Teia synodus his decreti verbis praedicat (C. J. Gr. 3067, v. 16 sqq.): *οὓς (τοὺς τεχνίτας) καὶ θεοὶ καὶ βασιλεῖς καὶ πάντες Ἕλληνες τιμῶσιν, δεδωκότες τήν τε ἀσυλίαν*

---

24) C. J. Gr. 3067—3070.

25) Mionn. suppl. 6, 377—8.

καὶ ἀσφάλειαν πᾶσι καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης, κατακολουθοῦντες τοῖς τοῦ Ἀπόλλωνος χρησμοῖς. Ubi quidem illa voce *πᾶσι* indicatur non Teios solos, sed omnes artifices esse intellegendos (cf. supra n. 20). Praeterea *πάντες Ἕλληνες* non possunt esse amphictiones, ut a viris doctis statui videtur, sed omnes singulae Graecorum civitates, quoniam iis potius verbis, quae paulo post sequuntur (*οἱ ἐκ πάντων τῶν Ἑλλήνων εὐσεβέστατοι*), amphictiones haud dubie significantur.[26]) Singularum autem civitatum leges ad artificum asyliam pertinentes insuper commemorantur in decretis Aetolorum et Delphorum Teium asylum confirmantibus (C. J. Gr. 3046 = Leb. 85 et Leb. 84). Ceterum hic quoque omnes artifices esse intellegendos ex iis, quae modo dixi, apparet.[27])

Quae vero vis fuerit asyliae, notius est quam ut pluribus explicari oporteat; sufficiat monere et pace et belli et personas et res eorum, qui asylia erant praediti, tutas fuisse, ut ne pignus quidem ab iis capere liceret. Jam tales homines quasi sacrosanctos, si in sodalitium erant congregati, facile patet quodammodo civitatem in civitate effecisse, sacram quandam in publica.

Atque id ipsum de Teia potissimum synodo certo potest confirmari. Primum enim, id quod vel summam habet vim demonstrandi, cum Teiorum populus ad externa sollemnia, velut ad Samothracia mysteria, theoros mittebat, artifices et ipsi adiciebant suos.[28]) Accedit quod ad civitates, quasi ipsi essent populus, mittebant legatos, ut Jasum (Leb. 281), Delum (C. J. Gr. 3067, v. 38 sqq.) atque adeo ad ipsum Teiorum populum (ibid. v. 37 sqq.).

Deinde ne id quidem neglegendum est, quod artifices potestatem habebant in theatro corona ornandi,[29]) ibidem statuas

---

26) quod Lüdersius p. 80—1 recte docuit contra Welckerum p. 1304, probante Sauppio p. 12.

27) sic Boeckhius ad 3046. Teios solos intellegunt Welcker p. 1305 et Lüders p. 83.

28) Conze Reise auf d. Ins. d. thrak. M. p. 65.

29) C. J. Gr. 3067, 23. 3068 A, 16. B, 17. 3082.

adeoque decreta statuendi,[30]) in Bacchi templo imagines collocandi.[31]) Nam etsi et theatrum et Dionysium cum artificum studiis artissime cohaerebant, tamen proprie erant populi soliusque populi erat ea ad tales usus adhibere. Quamquam nolo reticere, quod quidem per se patet, artifices tale quid semper a populo petere debuisse, id quod semel diserte indicatur (3067, v. 37 sqq.). Ac ne illud quidem taceo artifices in theatro coronare *μετὰ τὴν στεφάνωσιν τῶν δήμων* (3067, v. 24) i. e. „postquam ii coronati sunt, quos *δῆμοι* coronant“ (Boeckhius). Tamen vel hoc ipso, quod collegium eodem numero habetur quo civitates, demonstratur, quanta fuerit ejus auctoritas.

Quae auctoritas praeterea demonstratur titulo quodam Jasensi sive potius decreto synodi (Leb. 281), quo propter praesentes Jasensium res angustas sine mercede artifices eo mittere decernit (cf. n. 23). Etenim quamquam Foucartus (p. 59 sq.) haud dubie nimis rem augens praeter alia dicit: „ea prorsus est oratio hominum, qui invitati et rogati beneficium concedant et ea praescribant, quae ipsis placuerint, magis quam artificum locum suae industriae quaerentium“ — nam revera beneficium in Jasenses conferunt —, tamen e toto decreto, imprimis e collaudatione Jasensium, satis apparet, quantopere artifices civitatibus sese aequaverint. Sed huic quidem titulo non nimis tribuerim, quoniam pertinet ad parvulam Cariae urbem, quacum Teum comparare non licet.

Tamen id satis demonstrasse mihi videor, quam amplum intra Teiam civitatem locum artifices obtinuerint. Sed accedit postremo aliudquid, quod non minus est grave. Agonothetae enim Tei non ut aliis in urbibus cives erant neque agonothesia munus, sed ipsi artifices e suo numero quotannis agonethetam creabant,[32]) unum quidem, qui omnes ludos curaret.[33]) Etsi postea, cum collegium Teum reliquisset, agonothesia cives

---

30) 3067, 27. 36.

31) 3068 B, 27—28.

32) cf. imprimis C. J. Gr. 3067. 3068.

33) cum semper unus nominetur, sine dubio 3067, v. 27 non cum Boeckhio supplendum est *οἱ καθ᾽ ἕκαστον ἔ(τος γινόμενοι ἀγωνοθέται)*, sed *ἄρχοντες*, coll. 3068 A, v. 21 *ὑπὸ τῶν ἀρχόντων*.

functos esse et per se patet et titulis potest confirmari (cf. § 10). Ille autem artificum agonotheta, de quo uberius egit Foucartus p. 21 sq., haud dubie summam habebat auctoritatem. Nam ut taceam de levioribus ejus officiis, praecipue ei curae erant, id quod patet, ipsi ludi et quidquid ad eos pertinebat, ut victorum praemia (nec vero sacra cum ludis conjuncta, ut Foucartus censet; ea sacardotis potius erant); ita ut ea fere, in quibus tota ratio artificum versabatur, illius curae essent tradita. Erat igitur agonotheta haud dubie praeter sacerdotem summus collegii magistratus, id quod vel inde potest colligi, quod illi duo eponymi erant artificibus[34]) et quod postea sacerdotium regis Eumenis cum agonothesia conjunctum est.[35])

Quae cum ita sint, cum tota certaminum cura penes agonothetam fuerit, hic autem ex ipsis artificibus sit creatus, perfacile intellegimus, quantam potentiam habuerit collegium, quam ob rem plane assentior Foucarto, quod dicit: „quae collegii potentia nescio an nimia incolis visa causam seditionibus dederit, propter quas Teum deserere coactum fuit.“

Ceterum quod idem censet etiam choragos ex artificum fuisse numero nec per se verisimile est neque ullo vestigio indicatur (cf. § 10).

De singulis autem condicionibus, quibus artifices Tei ludos agebant, imprimis de mercede et similibus, valde dolendum est, quod nullum testimonium nostris temporibus est servatum. De Jaso quidem e titulis non paucis[36]) nonnulla concludere licet, nec vero ausim horum quicquam ad Teia transferre instituta, praesertim cum viri docti de illis admodum inter se dissentiant.[37])

---

34) C. J. Gr. 3068 A. 3070. Leb. 93. bull. de corr. hell. 4, p. 177.

35) C. J. Gr. 3068 A, v. 1. 17. 25. 3070. Leb. 93.

36) Leb. 252—299.

37) Waddington ad titt. all., Lüders p. 125. 200, Foucart p. 61.

Vita auctoris.

Carolus Ludovicus Franciscus Theodorus Scheffler natus sum in Blancoburgo Hercynico ante diem quintum Idus Apriles anni MDCCCLXI patre Ludovico matre Augusta e gente Spengler, quos adhuc in vivis esse summopere gaudeo. Fidei addictus sum luthericae. Primis litterarum elementis imbutus inde ab anno MDCCCLXIX gymnasium patriae frequentavi, unde maturitatis examine superato anno MDCCCLXXIX Gottingam me contuli philologiae studio operam daturus. Ibi tria per spatia semestria commoratus Lipsiae studia sum persecutus. Audivi autem viros illustrissimos Gottingenses Diltheyum, Duhnium, Fickium, Leutschium, Müllerum, Sauppium, Volquardsenum; Lipsienses Curtium, Ecksteinium, Grubium, Hermannum, Hirzelium, Langium, Lipsium, Masium, Pückertum, Ribbeckium, Seydelium, Strümpellium, Wolffium, Zarnckium. Praeterea tria per semestria Lipsii societatis antiquariae fui sodalis. Omnibus autem illis, quos venerabundus appellavi, viris doctissimis et illustrissimis gratias ago quam maximas semperque pio animo colam.

Scribebam Lipsiae ante diem quartum Calendas Julias anni MDCCCLXXXII.